This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Si 13,445.5


Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 20 March, 1902



De

Juvenalis Vita Observationes.

Scripsit

Darius Naguiewski,

Litter. latin. Magister, Gymn. Alex. Rig. praec. emer., Societ. hist. et antiq. baltic. sodalis.

Rigae.

Typis mandavit Stahl.

MDCCCLXXXIII.

Sl 13.445.5

HARVARD COLLEGE
MAR 20 1902
LIBRARY

Constantius fund.

Дозволено цензурою. Рига, 6. Мая 1883.

Index rerum.

Praefatio.

Cum ante hos quattuor annos de Juvenale scriberem[1]), accidit, ut nec de eius anno natali exilioque quaestiones nec cetera uberius accuratiusque exponi possent. Retractare igitur rem constitui idque eo libentius feci, quod mihi per duodecim annos in Juvenalis satirarum studiis versato[2]) eorum, quae nuper prolata sunt, quaedam minus videbantur probari posse. Quo pertinent Friedlaenderi[3]), Weidneri[4]), Stampini[5]), hominum doctissimorum, de poetae anno

---

1) In libro qui „Римская сатира и Ювеналъ" (De Juvenale Romanorumque satira, Mitaviae, 1879) p. 135—455 inscribitur.

2) Liceat hic opuscula mea ad Juvenalem pertinentia referre: 1) De O. Ribbeckio et Juvenalis saturis, quae declamationum nomine feruntur (Diurn. Inst. public. Petropoli, 1872 Nr. 6, pp. 73); 2) De Juvenalis satira prima (Rigae, 1875 pp. 140); 3) Commentarius criticus et exegeticus ad Juvenalis satiram primam (Diurn. Inst. public. Petropoli, 1875 Nr. 3, pp. 48); 4) Commentarius criticus et exegeticus ad Juvenalis satiram secundam (ibid. 1876 Nr. 2, pp. 40); 5) De eo quod summum est in Juvenalis satiris, oratio in universitate Charcoviensi habita (Voroneschiae, 1876, pp. 11); 6) Commentarius criticus et exegeticus ad Juvenalis satiram tertiam (Diurn. Inst. publ. Petropoli, 1879 Nr. 3, pp. 58); 7) De Juvenalis vita (ibid. 1880 Nr. 1, pp. 38).

3) Dissertatio de Juvenalis vitae temporibus. Acad. Alb. Regim. MDCCCLXXVII. Vide eiusdem dissertationis notitiam ab eodem auctore exhibitam in „Jahresbericht über die Fortschritte der classischen Alterthumswissenschaft", herausgegeben von C. Bursian, III. Bd., 2. u. 3. Jahrg. 1874—1875, Berlin, p. 207—209.

4) D. Junii Juvenalis Saturae, Leipzig, 1873.

5) De Juvenalis Vita, Augustae Taurinorum, 1881. Vide etiam „Rivista di Filologia e d'Istruzione classica", anno IX, fascicolo di Marzo-Aprile, 1881.

natali sententiae; de Juvenalis exilio quaestiones controversae a Synnerbergio[1]) et Strackio[2]) itemque a Weidnero et Stampino tractatae; de vitae Juvenalis fontibus coniecturae a Synnerbergio et Strackio propositae.

Quae quatenus vires munusque meum permittebant, expedire hoc libello conatus sum, haud frustra eis operam meam me impendisse ratus, si quid hominibus doctis ad has res rectius intellegendas contulisse viderer.

---

[1]) De temporibus vitae carminumque D. Junii Juvenalis rite constituendis, Helsingforsiae, 1866.

[2]) De Juvenalis exilio, Frankfurt am Main, 1880 (Programm des Gymnasium Fridericianum zu Laubach. Nr. 532).

I.

De fontibus vitae Juvenalis.

Omnes fere de Juvenalis vita quaestiones pendent a „*Vitis*" antiquis [1]. Quarum una exstat in plerisque codicibus, quam primum Georgius Valla in editione Veneta ann. 1486 sub Probi nomine publicavit eandemque in codice Budensi repertam P. Pithoeus editioni Paris. ann. 1613 praemisit. Alteram e codice Jsaaci Vossii H. C. Henninius vulgavit. Tertiam, quae „auctorem praefert Ael. Donatum" [2], idem homo doctus e cod. ms. Is. Vossii excerpsit [3]. Quartam e codice Kulenkampii G. Rupertius cum philologis communicavit. Quintam e cod. Bodleiano O. Muellerus descripsit [4]. Sextam e cod. Omniboni Achaintrius edidit. Septimam e codice Vaticano Theod. Mommsenius vulgavit. Octavam ex Divaei libro Justus Lipsius excerpsit [5]. Nonam denique e codice Harleiano saec. XV Franc. Ruehlius nuperrime edidit [6].

---

[1]) Septem vitas, quo enumeravi ordine, O. Jahnius in „D. Junii Juvenalis saturarum cum scholiis veteribus editione" (Berolini, 1851) p. 386—390 vulgavit.

[2]) Henninius, apud Jahn. Juven. Sat., p. 388.

[3]) Alterum huius vitae exemplum apud Cramerum in Commentar. in Juven. Satir. (Hamburgi, 1823) p. 568 invenimus.

[4]) „Exstat teste Achaintre in cod. Mediolanensi" 112—353 m. (Jahn, l. l.).

[5]) Epist. quaest. IV, 20; cf. Jahn, p. 390.

[6]) Jahrb. f. class. Philol. 1874, 109 p. 869.

De *origine* omnium harum vitarum hoc, ut opinor, recte affirmari potest, eas e quodam vetustissimo fonte, quo res Juvenalianae continerentur, nunc deperdito, fluxisse omnes. Synnerbergii autem sententia haec est „omnia, quae ad vitae Juvenalis notitiam pertinerent, primo in antiquissimis commentariis ad satiras eius, imprimis primam et septimam, singulis locis annotata fuisse; unde a posterioribus grammaticis et scholiastis collecta atque in unum conflata paulatim in vitarum, quales nunc habemus, formas transiisse" [1]. Alia sententia est hominum doctissimorum Franckii[2], Duentzeri[3], Kempfii[4], Strackii[5], qui fidem vitarum elevare conati eas ex quibusdam locorum interpretationibus ortas statuerunt. Neutri opinioni plane assentiri possum. Nam in vitis, quae nunc exstant, haud raro eiusmodi testimonia deprehendimus, quae nullo modo ex annotationibus ad singulos versus oriri potuisse, quivis concedet. Quae non solum coniecturis de origine singularum vitarum, sed etiam argumentis ex historia veterumque auctorum testimoniis petitis comprobari explanarique posse, infra videbimus. Nunc hoc monebo. Utut sese res de origine singularum vitarum habet, non est, quod eis omnem fidem auctoritatemque abrogemus, cum verisimillimum sit, iam inde ab antiquis temporibus si minus integras Juvenalis vitas, at certe breves vitae narrationes exstitisse. Atque Strackius, nullam fidem vitarum narrationibus habendam esse opinatus, eas a quodam „homine praepostero" scriptas censuit [6]. Audio. At mea quidem sententia haec est, etiam „hominem praeposterum", cum vitas scriberet, res e quodam antiquissimo libello nunc oblivione obruto haurire potuisse. Cui rei maximo, ut opinor, documento primum sunt vitarum narratiunculae, quas vix ex ingenio quisquam arripere

---

[1]) Synnerberg, De temporibus vitae carminumque D. J. Juvenalis, Helsingforsiae, 1866 p. 9.

[2]) Examen criticum D. J. Juvenalis vitae, Altonae et Lipsiae, 1820. — Quaestio altera de vita Juvenalis, Dorpati, 1827.

[3]) Neue Jahrb. Suppl. Bd. VI p. 374—379.

[4]) Observationes in Juvenalis aliquot locos interpretandos, Berolini, 1843.

[5]) De Juvenalis exilio, Frankfurt am Main, 1880 (Programm des Gymnasium Fridericianum zu Laubach).

[6]) De Juvenalis exilio, p. 13.

potuit. Deinde Juvenalis satirarum scholia, quorum fundamentum veterum grammaticorum commentarii iam Hadriani aut Antoninorum aetate scripti fuerunt [1]). Quam ob rem illud nobis probatissimum erit, eo ipso tempore quo scholia etiam breves vitae Juvenalianae descriptiones litteris mandatas esse. Nunc si consideremus, Juvenalem, ut infra demonstrabimus, intra 127 et 129 p. Chr. ann. mortuum esse, non est, cur dubitemus, quin, quo tempore veteres grammatici et interpretes in satiras commentarios scriberent, memoria rerum Juvenalianarum recentissima fuerit, falsis rumoribus commentisque nondum obliterata aut obscurata. Nec praetermittendum est, diligentiores quam ut quid temere atque ex arbitrio fingere auderent fuisse vetustissimos Juvenalis interpretes, utpote quos nihil ex suo addere solitos vestigia simplicis inornataeque orationis posterius demum falsis additamentis deformatae atque corruptae evidenter declarent. Sed etiam illud monendum. Strackii sententia, „saec. II et III Juvenalis satiras a grammaticis neglectas iis tantummodo, qui legendi voluptate tenerentur, notas fuisse" [2]), et anceps et temeraria mihi videtur. Primum enim veterum grammaticorum in Juvenalem commentarii, de quibus supra monuimus, satiras brevi post mortem poetae lectitatas esse, satis demonstrant. Tum eandem rem insignissimum codicis rescripti fragmentum ab Angelo Maio repertum luculenter confirmat [3]). Quod Juvenalis satirae quartae decimae finem et quintae decimae principium continens, eam sapit antiquitatem, ut rescriptionem eius ad tertium usque saeculum referas necesse sit [4]). Idem tamen in exiguo versuum numero tam manifesta menda variasque lectiones exhibet, ut iam tum plurima poetae exemplaria plurimosque eius interpretes fuisse intellegamus [5]). Quod satis, ut varia menda

---

1) E. Matthias, De scholiis Juvenalianis, Halis-Saxonum, 1875 p. 4 sq.

2) De exilio, p. 6.

3) Class. auct. e Vatic. codic. edit. T. III., p. XVIII. — Du-Rieu, Sched. Vatic. Lugd. Batav. 1860, p. 131.

4) C. Fr. Hermann, De codicibus Juvenalis recte existimandis, Gottingae, 1847 p. 6.

5) Hermann, ibid. p. 4.

omittam, in ipsa palimpsesti margine docet scholion ad Sat. XV, vers. 5, ubi cum codex itidem corruptam lectionem praeferat:

„Dimidio magicae resonant ubi Memnona chordae“,

non fortuito scriptum esse „Memnona“ pro „Memnone“ vetus annotatio ostendit: „quidam *dimidium* non *dimidio* legunt ad *Memnona* referentes“ [1]). Mirum igitur, ne dicam incredibile, videretur, si homines, qui tanto studio in satiras edendas interpretandasque incumberent, nihil nobis, recenti memoria rerum Juvenalianarum, de scriptoris vita tradidissent. Verumenimvero omnia eo ducunt, ut simul cum codicibus interpretationibusque satirarum brevi post mortem Juvenalis descriptiones vitae eius extitisse statuamus, quae a posterioribus grammaticis et scholiastis collectae nonnullis mutatis aut adiunctis aut detractis paullatim in vitarum, quales nunc habemus, formas transierint.

De *auctoribus* vitarum nihil omnino certi constitui posse videtur. Atque prima, quae omnium, quod sciam, consensu antiquissima putatur [2]), iam diu modo Suetonio modo Valerio Probo grammatico adscribebatur. Ad nobilem illum historicum vitam referebant Casaubonus [3]), Salmasius [4]), Spaldingius [5]). Sed nunc nemo est, qui obsoletam illam de Suetonio vitae Juvenalis auctore opinionem tueatur. Nam ut Burmannum omittam [6]), Franckius [7]) et Suetonii editores Reifferscheidius [8]) et Rothius [9]) satis superque demonstrarunt hanc vitam omnino Suetonio esse abiudicandam. Itaque ligna ego in silvam ferre nolo. Similiter etiam ad Probum Berytium grammaticum, sub cuius nomine Georgius Valla ex anti-

---

1) Jahn, Juvenalis sat., p. 159. — Hermann, l. l. p. 5.
2) Cf. Synnerberg, De temporibus etc. p. 8.
3) Vid. Suetonium, ed. Burmann. Amstelod. 1736, II, p. 164.
4) Exercitationes Plinianae, Parisiis, 1689 p. 449.
5) In praefat. edit. Quintilian. Lipsiae, 1798, p. XXXV.
6) Edit. Sueton., II, 470.
7) Examen critic. Juvenalis vitae, p. 9 sq.
8) Sueton. libr. reliq. Lipsiae, 1860 p. 404.
9) Praef. edit. Sueton. Lipsiae, 1862 p. LXXVII sq.

qui codicis auctoritate vitam publicavit[1]), falso ea ipsa relata est. Nam Probus iste, a Suetonio memoratus[2]), Nerone imperante vixit et, ut ex Martiale apparet, ad Domitiani tempora vitam produxit[3]). Itaque illo tempore iam mortuus erat, cum Juvenalis rhetoricis etiamtum studiis operam dabat. Non minus falsa sententia Stampini mihi videtur, qui de altero quodam Probo grammatico cogitandum esse suspicatur[4]). Nam Probus, quem Burmannus[5]) et Achaintrius[6]) e nonnullis Gellii locis[7]) perverse intellectis ad Hadriani tempora referebant, idem est atque Berytius ille[8]). Adde etiam, quod Steupii de Probis sententia, qui duos eiusdem nominis grammaticos deinceps fuisse demonstrare conabatur[9]), a Teuffelio refutata est[10]). De ceteris vero huius nominis grammaticis temporis posterioris nemo est, qui cogitet. Tota enim quaestio de grammaticis, qui nomen Probi prae se ferunt, densis tenebris involuta est, neque tamen unus in eo numero invenitur, qui Juvenali tractando operam navaverit. Quibus autem causis ductus Valla vitam Juvenalis Probo tribuerit, incertum est: nihil enim ipse de ea re nobis tradidit, codex vero, ex quo vitam in lucem protulit, nunc non exstat. In optimis vero codicibus Juvenalianis, Pithoeano et Sangallensi, qui haud dubie e vetustissimo illo codice, quem Valla ad manum habuerat, manarunt, ne vestigia quidem Probi nominis reperiuntur. Quae cum ita sint, non est, quod dubitemus, quin vita, quae vulgo Probi dicitur, a quodam scholiasta, vel „compilatore grammatico",

---

1) In edit. Veneta, 1483.

2) De illustr. gramm. c. 24.

3) Mart. Ep. III, 2. — Cf. Matthias, De scholiis Juvenalianis p. 3.

4) De D. Junii Juvenalis vita, Augustae Taurinorum, 1881 p. 7.

5) Ad Vergil. (ed. Amstelodam. 1746), T. II p. 35.

6) In edit. Juvenal. Paris. 1810, II p. 76.

7) Noct. Att. I, 15; IV, 7; VI, 7 (3) alib.

8) Osannus, Beiträge zur griech. u. römisch. Literaturgesch. Leipzig, 1839 p. 109 sq. Cf. p. 262.

9) Steup, De Probis grammaticis, Jenae, 1871.

10) Studien und Charakterist., p. 442—445.

ut Henninii verbis utar[1]), simul cum codicibus[2]) expressa sit. Eadem de ceterarum auctore recte dici possunt.

His de origine auctoribusque „Vitarum" praemissis, restat, ut, antequam vitae Juvenalis tempora exponam, pauca *de vitarum fide* addam.

Inter omnes vitas, quas supra enumeravi, recte prima, quae vulgo Probiana dicitur, antiquissima iudicatur. At quamquam ita res sese habet, non est tamen, quod Probianam vitam ceteris uberiorem iudicemus testimoniisque eius praecipuam fidem tribuamus. Qua in re hoc primum observari debet, huic vitae talia deesse, quae haud dubie in antiquissimis illis saec. II et III vitae poetae narrationibus, de quibus supra diximus, exstiterint. Utque silentium de patria Juvenalis, de eius anno natali ac de nomine imperatoris, exilii auctoris missum faciam, hoc monendum puto, etiam praenomen Juvenalis, quod, ut codices testantur, satis notum fuit, in vita desiderari. At nonnulli affirmant, auctorem vitae incerta pro certis tradere noluisse. Quae tamen incerta? Praenomen Juvenalis (Decimus) codicum fide satis firmatur[3]), Kulenkampianae vero, quae dicitur, vitae scriptura M. pro D. vel calami lapsu vel errore vitae editoris Rupertii explicari potest[4]); nam quantas difficultates codicum lectiones interdum praebeant, recentissimo Ruehlii exemplo, vitae Juvenalis e codice Harleiano editoris, comprobari potest[5]). De patria Juvenalis item dubitari non potuit. Eorum etiam sententia, qui de quadam critica, quae dicitur, scriptoris vitae ratione cogitabant, mihi improbanda est.

---

1) In vita Donati apud Jahn., Juv. ed. p. 388.

2) Jahn in vita Probi quae dicitur, p. 386: „P. in fine recentiore manu ascriptam habet. Habent cod. Alexandrinus bibl. Vatic. 2029 saec. X, Fauchetii bibl. Parisinae 8070 saec. XI, Mazarineus apud Achaintre, codd. Vaticani 2810 saec. XIII (a), Urb. 343 (b)." Exstat praeterea in cod. musei Britannici 15600 saec. IX; in cod. Regio 15 B XVIII saec. XI (Rühl, Jahrb. f. class. Philol., 1874, 109 p. 868).

3) Jahn. l. l. p. 45. — Rühl, l. l. -- Synnerberg, l. l. p. 33. — Weidner, Juvenalis saturae (Leipzig, 1873). Einleitung, § 6.

4) Vitae e codice Harleiano lectio „Decij" (p. 869) inscientia scriptoris explicatur, qui D. pro „Decius" positum esse somniavit.

5) L. l. p. 868 et 869.

Nam in ipsa Probiana eiusmodi vitia occurrunt, quae longe a sana et considerata iudicandi ratione abesse videantur. Hoc vitae finis comprobat, in quo vetus scholiasta annum exilii cum anno, quo Juvenalis supremum obierat diem, confudit. Hic error, de quo infra uberius dicemus, inde, nisi me omnia fallunt, ortus est, quod versus, propter quos poeta in exilium missus erat, perperam ad histrionem ignotum, qui *„erat tunc (?) in deliciis aulae"*, vitae auctor rettulit [1]). Quam ob rem hoc persuasum habeo, veterem scholiastam, cum ultimam vitae partem, quae verbis *„erat tunc — tendentis"* continetur, scriberet, aut libellum necessarium ad manum non habuisse, aut hunc ipsum libellum minus recte consuluisse. Prima vero pars vitae non solum ordine narrationis ceteris satis praestat, sed etiam fide rerum, quae vel poetae verbis vel testimoniis aliunde desumptis satis comprobari possunt.

Propius ad Probianam brevitate atque ordine rerum expositarum vita accedit quarta, quam Rupertius e codice Kulenkampii edidit. Quae adeo a Probiana abhorret, ut ex alio fonte manasse videatur. Huc indicia de patria Juvenalis [2]), de tempore et auctore eius exilii [3]), de satiris poetae [4]), de imperatore, quo decessit Juvenalis [5]), pertinent. Synnerbergius, originem omnium vitarum ad Probianam detorquere conatus, Kulenkampianam ad communem

---

[1]) Vita Prob.: „paucorum versuum satyra non absurde composita in Paridem pantomimum poetamque semenstribus militiolis emitantem genus scripturae industrie excoluit, et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus, mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis: „quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos et Bareas, tu nobilium magna atria curas? praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos." erat tunc in deliciis aulae, multique fautorum eius quottidie provehebantur. venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figura notasset, ac statim per honorem militiae quamquam octogenarius urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extremam Aegypti partem tendentis."

[2]) „ex municipio Aquinati."

[3]) „extremis Domitiani temporibus missus in exilium expertus est quantum unius histrionis ira valeret."

[4]) „in exilio ampliavit satyras et pleraque mutavit."

[5]) „decessit longo senio confectus exul Antonino Pio imperatore."

omnium fontem referre non dubitavit [1]). Nec tamen recte, nisi forte coniecturam ex vano haustam pro re certa ac demonstrata accipere velis. Nam quicunque vel obiter utramque vitam inter se comparaverit, recte sibi persuadebit, Kulenkampianam multis rebus differre a Probiana. Synnerbergius vero id solum expedivit, quod vitae finem *„decessit — imperatore“* e falsis scholiastae computationibus ortum esse affirmavit [2]). Sed in gravissimo vitae testimonio *„extremis — exilium“* vel fastidiose caecutit vel coniecturis tantum utitur [3]), quo facto, ut Hermanni verbis utar, „fucum potius, quam facem praetulit“ [4]). Hac critica Synnerbergius ratione id effecit, ut, cum vitae Kulenkampianae de Juvenalis exilio testimonium refellere nequivisset, suam de Traiano exilii auctore coniecturam [5]), cui praeter vitam Kulenkampianam etiam multa alia obstant [6]), plane improbabilem faceret. Accedit, quod et alia eius coniectura „omnem imperatoris, quisquis erit, mentionem, ita factam esse, ut nomen eius posterius ex coniectura esse positum recte sit colligendum“ [7]), mihi hoc loco improbanda est; nam si Kulenkampianae vitae testimonium refutari nequit [8]), verba illius modo allata ad Traianum vel quem vis alium falsum exilii auctorem potius quam ad Domitianum referas necesse est. De Franckii vero sententia, quam de vitae Kulenkampianae origine protulit [9]), hoc, opinor, dicere sat erit, eum e more suo subtilius quam verius disputasse, quod Synnerbergius comprobare videtur, cum Franckii sententiam breviter complexus haec addit: „Ita disputavit Franckius, cui assentiri ecquidem non dubitarem, si ulla vestigia ad tam subtilem artificiosamque disputandi

---

1) De temporibus etc. p. 35.
2) Synnerberg, p. 33.
3) Ibid. p. 32 sq.
4) C. Fr. Hermann, De Juvenalis satirae septimae temporibus, Gottingae, 1843, p. 6.
5) De temporibus, p. 73 sq.
6) Vid. infr.
7) Synnerberg, p. 26.
8) Cf. ibid., p. 33.
9) Examen criticum, p. 76 sq.

rationem in his vitis diiudicandis nos deducerent." [1]) Ut rem de hac vita absolvam, hoc monendum puto. Ne hoc quidem testimonium, *„in exilio ampliavit satyras et pleraque mutavit, invehiturque in cineres Domitiani"*, mihi improbandum videtur. Nam fundamenta satirarum iam Domitiani temporibus iacta erant [2]), quapropter nihil mirum, si Juvenalis, exemplo Caesaris inter tubarum sonitum commentarios scribentis [3]), in exilio satiris conficiendis perpoliendisque operam dedit. Videtur tamen Juvenalis potius in Britannia, cum ibi stipendia mereret [4]), quam in relegatione Aegyptiaca *„satyras ampliasse."*

In vita Vossiana, ab Henninio edita, quam ex vita Probiana expressam ac dilatatam affirmarunt Franckius [5]), C. Fr. Hermannus [6]), Synnerbergius [7]), Strackius [8]), vestigia antiquae narrationis duabus in rebus perspiciuntur: primum in tempore, quo Juvenalis natus est, definiendo [9]), tum in loco ubi de poeta Romam post exilium reverso traditur [10]). De Juvenalis anno natali infra videbimus. Quae vero de poetae reditu in vita leguntur, iam primo aspectu eiusmodi videntur, ut tanquam ex arbitrio ficta merito in dubium vocari nequeant. Quod quidem antiquissimo illo, ut opinor, vitae Donati testimonio, in quo de Martiale Roma circ. 98 p. Chr. ann. Bilbilim reverso traditur [11]), apte confirmatur. Ex sententia Synnerbergii [12]), λὰξ καὶ ὀδάξ omnia sub Domitiano exilii Juvenaliani vestigia delere conantis, vitae Donati verba *„tandem — videret"* posterius addita. Non placet. Puto enim Martialis mentionem ex antiquissima

---

1) Synnerberg, p. 35.

2) Idem, p. 55 sq. 77 sq.

3) Cf. Nipperdey, Quaest. Caesar. in edit. Lips. 1847 p. 5 sq.

4) Vide infr.

5) Exam. criticum p. 17.

6) De satirae septimae tempor., p. 8.

7) De temporibus etc. p. 14.

8) De exilio, p. 15.

9) „oriundus temporibus Claudii Neronis."

10) „ .... revertiturque Juvenalis Romam."

11) „pulsus urbe tandem Romam cum veniret et Martialem suum non videret." Cf. infr.

12) L. l. p. 17.

Juvenalis vita, brevi post mortem poetae conscripta, manare potuisse. Quid enim? Unde haec auctor mutuari potuit? Nec in aliis vitis nec in carminibus poetae nomen Martialis occurrit. In iis vero, quae de Martiale in scholiis inveniuntur, nihil de Juvenalis cum Martiale familiaritate inest [1]). Nec praetermittendum est, Martialem ter solum et id quidem in ultimis epigrammatum libris Juvenalem memorare [2]), quam ob causam non possum non affirmare, vix vitae auctorem de familiaritate utriusque redituque Martialis ex ipsius carminibus comperisse.

In reliquis vitis nulla fere satis clara ac distincta antiquae narrationis vestigia deprehendimus. In vita, quae Bodleiana dicitur, duo eiusmodi vestigia reperimus, quorum unum hoc est: „Cum ex Aquino municipio Romam se contulisset et ad dignitatem equestris ordinis sua virtute pervenire meruisset [3])“. Alterum ad Scoticam quae dicitur Juvenalis militiam refertur [4]). Videntur tamen haec omnia facile ex satiris ipsius poetae deprompta esse [5]).

Quae de his Juvenalis vitis modo diximus, eadem recte, ut opinor, ad *alterum vitae eius fontem,* quem in fragmento quodam Schurzfleischii [6]) atque in nonnullis scholiorum lociis [7]) deprehendimus, referri possunt [8]).

Tertium in testimoniis ipsius poetae invenimus [9]), quae tamen adeo pauca et abrupta sunt, ut coniecturis ex antiquis vitis desumptis egeant.

Quartum in epigrammatis Martialis habemus [10]).

---

[1]) Schol. ad Sat. IV, 38; XI, 162. — Probus ad Sat. I, 76; VII, 130.

[2]) Libr. VII ep. 24 et 91; lib. XII ep. 18.

[3]) Synnerberg, p. 49–50; cf. infr.

[4]) „sub honoris praetextu fecit eum (tyrannus) praefectum militis contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant, ut ibi interficeretur Juvenalis.“

[5]) Strack, p. 24—25. Cf. infr.

[6]) In praef. Spicileg. annot. in Juv. satir. Vinariae 1717.

[7]) Ad Sat. I, 1; IV, 38; VII, 92; XV, 22; XVI, 3.

[8]) Strack, p. 17—20. Synnerberg, p. 31.

[9]) Cf. infr.

[10]) Cf. supr. ann. 2.

Quintum praebet titulus lapideus Aquini, in patria Juvenalis, repertus[1]). Huius monumenti fidem nuperrime Strackius in suspicionem vocare conatus est[2]). At frustra, cum nec argumenta ad suam sententiam comprobandam attulerit, nec quae ad huius tituli fidem auctoritatemque confirmandam ab hominibus doctissimis prolata erant, refutaverit.

Sextum in notissimo Apollinaris Sidonii loco, ubi Juvenalis *„irati histrionis exul"* nominatur, habemus[3]). Cuius testimonii Strackius propterea nullam rationem habuit, quod Apollinaris temporibus „fabula illa de Juvenalis exilio sine dubio pervulgata erat"[4]). At haec argumentatio non solum anceps, sed etiam temeraria nobis videtur. Nam in re tam obscura tamque intricata, ut est vita Juvenalis, diiudicanda, operam et studium non ad suspiciones sine causa idonea movendas, sed ad eas res, quae a vero discrepare non videantur, conferamus oportet. Dicam igitur, quid de hoc loco Apollinaris sentiam. Juvenalis satirae, ut satis compertum est, inde ab initiis medii quod vocant aevi multis, imprimis vero, monachis, placebant, qui cum Juvenalem, veluti fidei suae participem agnoscerent, multum operae in libris eius legendis collocarunt[5]). Cui rei Apollinaris Sidonius, clarissimus Arvernorum episcopus (ann. 473—484 p. Chr.), quam maxime operam dabat, quod satis imitationum vestigiis, quae apud eum deprehenduntur, comprobari potest. Ita in epistolis eius legimus: „Nos quoque subduximus ferulae manum[6]); Natus ad Euphratem"[7]); „Satur est, cum dicit Horatius „Ohe"[8]). Jam si consideremus, Apollinarem adeo peritum antiquitatis aestimatorem fuisse, ut recte

[1]) Vide infr.

[2]) De exilio, p. 25—26.

[3]) Apoll. Sid. Carm. IX, 272—276.

[4]) De exilio, p. 16. Cf. p. 33.

[5]) Cf. Haeckermann, Commentatio in D. J. Juvenalis satiras, Greifswald, 1867 p. 4. — C. Fr. Hermann, praef. edit. Juvenalis (Lipsiae, 1865), p. XVIII.

[6]) Ep. II, 10. Juv. I, 15.

[7]) Ep. VII, 17. Juv. I, 104.

[8]) Ep. VIII, 9. Juv. VII, 62.

„poetae doctissimi" nomen acceperit [1]), illud nobis probatissimum erit, etiam de vita eorum, in quorum studiis versabatur, eum cognitionem subtiliorem e primariis fontibus haustam habuisse. Accedit, quod duplex satirarum recensio, quarum alteram christiano cuidam homini atque ecclesiastico debemus, circa saeculum VI vel VII exstitit [2]), quam ob rem probabilissimum nobis videtur, Apollinarem, quo tempore opera sua scriberet, cum antiquissimo satirarum codice etiam vetustissimam Juvenalis vitam, quae corruptelarum vel additamentorum temporis posterioris labe careret ad manum habere potuisse. Quod si consideres, quid est cur fieri potuisse neges, ut Apollinaris, qui tantum diligentiae et doctrinae ad historiam veterumque auctorum scripta adhiberet [3]), testimonium de Juvenale „irati histrionis exule", ex hoc antiquissimo rerum Juvenalianarum fonte potius quam a fabellis falsisve rumoribus mutuaretur.

Septimum Juvenalianarum rerum *fontem* Suidae et Malalae debemus [4]). Qui tamen, ut inepti compilatores, indigni sunt, quibus ullam fidem habeamus [5]).

Sed haec quidem hactenus. Nunc ad singulas de vita poetae quaestiones adumbrandas accedamus.

---

[1]) Teuffel-Schwabe, Geschichte d. römisch. Literat. 4. Aufl. Leipzig, 1882 § 467 ann. 3 et 8.

[2]) Hermann, praef. ed. Juvenalis, p. XIX.

[3]) Bähr, Gesch. d. römisch. Liter. 4. Aufl. Carlsruhe, 1868, I, p. 471; II, p. 641. — Teuffel-Schwabe, ibid.

[4]) J. Malalas, Chronographia ex rec. L. Dindorfii, in opere quod inscribitur „Corpus scriptorum historiae Byzantinae, Bonnae, 1831, lib. X, p. 263. — Suidas, Lexicon graece et latine, Halis, 1843, I, p. 1003 sq.

[5]) Synnerberg, p. 41—43. Strack, p. 21.

II.

De Juvenalis anno natali.

De anno, quo Juvenalis natus est, vitae dissentiunt. In Vita Henniniana eum „temporibus, Claudii (Neronis)" natum esse legitur. Probiana, Donatiana, Kulenkampiana „octogenarium" e vita decessisse tradunt. Quibus testimoniis ipsius Juvenalis verba subiunguntur, qui in XIII satira „sexagenarium" amicum suum, „Fonteio consule natum", memorat [1]). De cuius nomine adhuc controversia est, cum duo Fontei consules memorentur, quorum alter, C. Fonteius Capito, consul anno 59 p. Chr. n., alter vero L. Fonteius Capito, anno Chr. 67 fuit [2]). Mihi quidem eorum sententia probabilior videtur, qui consulem L. Fonteium Capitonem a poeta designari affirmant. Quid enim? Si satira XV, in qua, quae „nuper" consule Junco gesta sint se relaturum promittit poeta [3]), non ante finem ann. 127 p. Chr.

---

[1]) Vrs. 16 et 17.

[2]) Theodor Janssonius ab Almeloveen, Fastor. roman. consularium libr. duo. Amstelod. 1740 p. 121. — Alteri duo Fontei Capitones, in consularibus fastis memorati, ad augusteam aetatem referendi sunt. Vid. Bart. Borghesi Intorno all' età di Giovenale in Oeuvres complètes, tom V, Paris, 1869 p. 76.

[3]) Vrs. 27. — „Juncum" pro „Junio" habet Pithoeanus et codicis Vaticani palimpsesti fragmentum (v. Jahn, p. 160). Cf. Strauch, De personis Juvenalianis, Gottingae, 1869 p. 41: „Permirum est quod fuere, qui vitiosae malorum librorum scripturae „Junio" plus fidei haberent quam optimae ac vetus-

scriptam esse posse apparet[1]), non est quod satiram XIII, quae natura sua propius ad XV quam ad XIV accedit[2]), novem annis ante satiram XV conscriptam coniciamus[3]). Itaque tertiam decimam satiram post sequentem scriptam esse opinari licet[4]), praesertim si consideremus, singula in ultimo libro carmina post mortem poetae aliter fortasse atque nunc disposita fuisse[5]). Quam ob rem si non solum coniecturae, sed maioris quidem momenti argumenta satiram XIII ann. p. Chr. n. 127 exaratam esse demonstrant, non est quod editionem eius usque ad annum 119 referamus. Jam si consideremus, Juvenalem omnium fere vitarum consensu „octogenarium" fato concessisse, necesse erit natalem eius ad quadragesimos post Chr. annos referamus. Quae computatio omnino congruit cum notissima illa Borghesi et Synnerbergii, quorum alter Juvenalem intra annos 47 et 127 vixisse coniecit, alter vero poetam circa annum urb. cond. DCCXCIX natum esse voluit[6]). Sed haec hactenus. Nunc ad sententias nuperrime prolatas accedamus.

Atque *Friedlaenderus* in dissertatione, quae „De Juvenalis vitae temporibus[7])" inscribitur, memorabilem illum XIII satirae

---

tissimae „Junco". Quidquid enim de Juvenalis vita vel codicibus statuis, bisyllabum „Junio" prorsus non est tolerabile." Ibid., ann. 4: „Nullius momenti sunt: „Vinco, Vinio, Juno", quorum origo manifesta est."

[1]) Cl. Cardinali, Un nuovo diploma militare dell' imperatore Adriano, in Dissertazioni della pontificia Academia di Archeologia, Rom. 1835, T. VI, p. 231.

[2]) De indole harum satirarum cf. „Римская сатира и Ювеналъ", Митава, 1879 p. 352—388.

[3]) Annus, quo XIII satiram scripsit Juvenalis, definietur, si numer. 60 a poeta memoratum ad supra allatum 59 vel 57 annum Fonteiorum addideris.

[4]) Borghesi, Annotazioni a Giovenale in Oeuvres, Vol. V, p. 510: „cho conciuso, che le due satire tredicesima e decima quinta furono scritte a un dipresso nel medesimo anno 880." — Strauch, l. l. p. 42: „Neque est quod post hunc annum (127) satiram illam (XV) scriptam esse redarguat, immo etiam XIII satira sub idem tempus composita est."

[5]) Huiusmodi exemplum praebet sat. XV, quam multi codices post XVI ponunt (v. Jahn, l. l. p. 159 et 166).

[6]) Borghesi, Intorno all' età di Giovenale, p. 75—76. — Synnerberg, l. l. p. 92.

[7]) Regimonti, 1875. Cf. Bursian, Jahresb. über d. Fortschritte d. class. Alterth. III, p. 207.

locum, de quo iam supra locuti sumus, ita interpretatur, ut verba:

„Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio consule natus“ [1])?

non ad amicum poetae Calvinum [2]), sed ad Juvenalem ipsum referat. Si haec interpretatio vera esset, Juvenalem non ann. 47, ut supra docuimus, sed 67 anno Chr. natum esse statuamus necesse esset [3]). Sed longe aliter sese rem habere, ipsa versuum evolutio docet. Quid enim? Si Friedlaenderi coniectura probabilis esset, haec „familiaris reprehensio“, ut verbis Britannici utar [4]), quae cum huius satirae propria sit, in blandis praecipue interrogationibus perspicitur [5]), evanesceret, versusque 18: „an nihil in melius tot rerum proficit usus?“ sensu cum praecedentibus congruenti careret. Itaque in versu 17 interrogandi forma, quam, praeter scholiastam [6]), interpretes omnes retinuerunt, eo magis defendenda est, quod Juvenalis in simplici interrogatione, ut in hoc loco, particulam interrogativam multo saepius omittit quam ponit, et verba ita plerumque distribuit, ut interrogatio ex ipsis verbis et ordine vel ex tempore atque modo vel ex cohaerentia sermonis definiatur [7]). In versu autem 17 interrogandi forma, ut ex totius loci nexu apparet, quam maxime est necessaria. Sensus enim versuum 11—18:

Ponamus nimios gemitus: flagrantior aequo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficit usus?

hic est: „Noli plus aequo indulgere maerori, homo gravis et con-

---

1) Vrs. 16 et 17.
2) Ibid. vrs. 5.
3) Friedlaender, l. l. p. 5.
4) Juvenalis edit. Mediolan. 1514 fol. CV.
5) Vid. vrs. 6, 18, 25, 34, 37, 71—74 etc.
6) Jahn, p. 353.
7) O. Kiaer, De sermone D. J. Juvenalis, Hauniae, 1875 p. 166.

stans deici dolore non debet, nec vehementius, quam res ipsa poscat, afflictari. Pudeat te, quod exiguum ac leve malum tolerare nequeas et furentis in morem excandescas ob fraudem et perfidiam amici, depositum tibi reddere negantis, quod sancte custodiendum ab eo et reddendum erat. *An ista miratur, qui a dorso dimisit annos sexagenos, sub Fontei consulatu genitus?* (vel: *an eiusmodi fraus mira videri debet homini rerum perito atque annos nato sexaginta?*). Nihilne tandem didicisti ac profecisti ad casus adversos levius ferendos, tam longa experientia?" Itaque omnia bene se habebunt, si interrogandi formam retinueris. Praeterea pronom. neutr. „haec", quod a verbo „stupet" [1]) pendet, eodem communi sensu usurpatum est, quo supra pronomen eiusdem generis „quae" [2]), quod, ut e verbo „pateris" apparet, ad omnia mala, quibus obrutus est Calvinus, ut: „recens scelus", „fides ab amico violata", „iacturae onus" [3]), refertur. Jam si sententiarum nexum, qui his duobus versibus continetur, consideres, haec habebis: Calvinus non solum aegerrime tulit „casum e medio fortunae acervo [4]), sed, quamvis sexagenarius, valde miratus est, obstupuit, quod amicus infidelis depositum sibi abnegaret. Itaque et stupor et senectus cum Calvini conditione apte coniunguntur. Juvenali vero minima erat causa aut scelus mirandi aut annos vitae suae computandi; ipse enim confitetur, se haud raro eiusmodi res, ut fraudes, violatam fidem similia vidisse [5]). Quam ab rem si aetatem suam respicere vellet, potius de adolescentia sua, quam de senectute hoc fere sensu loqueretur: „Quid stupes? iam adolescens haud raro vidi, quae patiaris." Inde sequitur, ut „stupet haec" [6]) non ad Juvenalem, sed ad Calvinum, qui solus „spumantibus ardet visceribus" [7]) referendum sit [8]).

[1]) Vrs. 16.
[2]) Vrs. 9.
[3]) Vrs. 5—6 et 8.
[4]) Vrs. 9—10.
[5]) Vrs. 8—9: ... „nec rara videmus, Quae pateris."
[6]) Vrs. 16.
[7]) Vrs. 14.
[8]) Recte Strackius, l. l. p. 31 ann.: „Si id quod vult Friedl. (Juvenalis) dicere voluisset, *hoc* non *haec* scribere debuit."

Quibus etiam haec subiungenda sunt. Ex secunda ad tertiam personam transitus[1]), qui Friedlaendero praecipuam interpretationis mutandae causam praebuit, nihil habet offensionis. Nam Juvenalis non solum numeros, tempora, modos saepe mutat[2]), sed etiam personas. Ita permultis locis earum satirarum, quae epistolarum speciem prae se ferunt, subito secunda utitur persona; aliis compluribus locis statim ex tertia persona transit ad secundam[3]). Ex secunda persona ad tertiam transitum, ut in satirae XIII loco, bis observavi: Sat. V, 18:

„Una simus, ait. Votorum summa! quid ultra
Quaeris? Habet Trebatius, propter quod rumpere somnum
Debeat";

et Sat. VII, 229—237—238—242:

. . . . „Sed vos saevas *imponite* leges;
Exigite ut mores teneros cum pollice ducat;
. . . . *exigite,* ut sit
Pater ipsius coetus . . . . .
Haec *inquit* cura".

Adde, quod Juvenalis, cum ipse de se aperte loquitur, non oblique tertia persona, sed prima singular. vel plural. uti solet. Cuius rei exempla iam in satira prima occurrunt; vrs. 1:

„Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam";

vrs. 15—16:

„Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
consilium dedimus Sullae"[4]).

Itaque et totius loci nexus et Juvenalianum dicendi genus obstant, quominus Friedlaenderi sententiam veram esse iudicemus.

Sed in alias etiam difficultates incurreremus, si Friedlaendero fidem haberemus. Ad coniecturam suam de anno, quo Juvenalis natus est, comprobandam, poetam non ante Traiani principatum, post ann. 107, ad satiras scribendas accessisse affirmare non

---

[1]) Vrs. 5—15 et 16.

[2]) Vid. Kiaer, De sermone Juvenalis, p. 194 sq.

[3]) Uberius de hac re vid. in libro meo „Отто Рибbекъ и Декламаторскія сатиры Ювенала", Петербургъ, 1872 стр. 63. — B. Lupus, Vindiciae Juvenalianae, Bonnae, 1864 p. 18.

[4]) Alia huc spectantia exempla in libr. meo „Римская сатира и Ювеналъ", p. 425 n. attuli.

dubitavit [1]). Sed nulla argumenta ad hanc sententiam probandam protulit et omnia eo ducunt, ut Juvenalis iam Domitiano imperante poeticae operam navaverit primasque satiras non post 107 ann. sed ante hoc tempus in lucem protulerit. Quod ut iam C. Fr. Hermannum [2]) aliosque omittam, haud multis ante annis Synnerbergius demonstravit [3]). Adde, quod de duplici satirarum recensione, quam praeter Teuffelium [4]) et Ribbeckium [5]), Friedlaenderus probare videtur [6]), cogitari nequit. Nam primum de altera editione apud antiquos altum silentium est, cum vitae Kulenkampianae verba: „in exilio ampliavit satiras et pleraque mutavit", de quibus supra locuti sumus [7]), huc non spectent. Tum nullam causam invenio, quamobrem res Juvenalianae duplici satirarum recensione declarentur [8]). „Quod si passim, ut recte Stampinus monuit, quibusdam satirarum locis molestae repetitiones occurrunt, eas tamen a Juvenalis ingenio minime abhorrere iudicabit, qui poetam consideret multum in declamationibus versatum sibi temperare non potuisse quin tumidum et luxurians scribendi genus saepe usurparet" [9]). Jam si consideremus, Juvenalem omnium fere vitarum, excepta Kulenkampiana et Vaticana, cansensu [10]), ad mediam fere aetatem (i. e. ad 40 vitae annum) declamasse, imperante vero Domitiano (ann. 82—96) primum, ut iam supra monuimus, ad poeticen se contulisse, natalem poetae, non ad sexagesimos, ut vult Friedlaenderus, sed ad quadragesimos annos post Chr. referas necesse erit.

Ac de temporibus librorum II et III Friedlaenderum haud recte coniecisse, mihi persuasum habeo. De satirae sextae tem-

---

1) l. l. p. 4.
2) De satir. septimae temporibus, p. 19—20.
3) l. l. p. 59 sq.
4) Studien und Charakteristiken, Leipzig, 1871 p. 424—434.
5) Juvenalis satur. ed. stereotypa, Lipsiae, 1859 praef. p. XII. — Der echte und der unechte Juvenal, Berlin, 1865 p. 72—73.
6) Ibid.
7) Vid. p. 8—9.
8) Cf. Strack, p. 32. — Римск. сатира и Ювеналъ, p. 453.
9) Stampini, De Juvenalis vita, p. 37.
10) De vitarum fide Friedlaenderus minime dubitat (l. l. p. 4 et 5).

poribus quid censendum sit, infra videbimus[1]. At quominus in septima satira Juvenalis Hadrianum attigerit, ut Friedlaenderus opinatus est[2], haec haud parvi momenti argumenta obstare videntur. Nam primum tota satirae nostrae indoles ab earum colore, quas subHadriano scriptas esse certis vestigiis intellegimus, adeo discrepat, ut vel hanc solam ob causam multis annis ante scriptam esse necesse sit[3]. Praeterea, si sub Hadriano septimam satiram condidisset Juvenalis, mirum sane esset ad tempora praesentia carpenda id convertere, quod ante triginta circiter annos accidisset[4]. Adde, quod de altera editione, ut iam supra docuimus, cogitari nequit[5] et alia argumenta eo prorsus ducunt, ut laudes illas Juvenalianas, initio septimae satirae praepositas[6], ad Traianum, ut iam multi firmissimis argumentis evicerunt, referamus[7]. Quod primum Statii et Quintiliani mentio comprobat[8]. Statius circa 40 p. Chr. ann. natus[9], eodem fere tempore, quo Domitianus,

---

[1]) Vid. p. 23–25.

[2]) Loc. laud.

[3]) Cf. C. Fr. Hermann, De sat sept. temp. p. 19. — De natura priorum et posteriorum Juvenalis satirarum in libr. meo saepius laudato „Римск. сат. и Ювеналъ" uberius disputavi, p. 297 sq. 437 sq. De septimae satirae natura v. ibid. p. 259—269.

[4]) Völker, Juvenal, ein Lebens- und Charakterbild, Elberfeld, 1851 p. 96. Cf. Synnerberg, p. 75.

[5]) Vid. p. 18.

[6]) Vers. 1—3: „Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum: Solus enim tristes hac tempestate Camenas Respexit."

[7]) Ut multos priorum temporum Juvenalis editores, quos apud Hermannum (De sat. sept. temp. p. 4 ann. 17 sq.) enumeratos invenies, omittam, etiam recentiores in hanc sententiam ierunt, ut Hermannus (Juv. ed. praef. p. XV), Voelkerius (Juvenal, p. 98, 105), Bergius (Des D. J. Juvenalis Satiren im Versmasse des Originals übersetzt und erläutert, Stuttgart, 1863 p. 27, 28, 164, 165), Sieboldus (Die Satiren d. Juvena.is, lat. Text mit metr. Uebersetz. und Erläuterungen, Leipzig, 1858. Einleit. p. XVII, p. 142), Ribbeckius (Ed. stereot. praef. p. X), Widalius (Juvénal et ses satires, études littéraires et morales, Paris, 1869 p. 165, 166), Vescovius (Le satire di Giovenale voltate in versi italiani ed annotate col testo a fronte, Firenze, 1875 p. XV, XVI et 195), Hilgersius (Juvenal in deutschen Jamben, Leipzig, 1876, p. 328) aliique.

[8]) Vrs. 82—87; 186—189.

[9]) Imhof, P. Papinii Statii ecloga ad uxorem, Halac, 1863 p. 15 sq.

diem obiit supremum [1]). Thebais vero cuius recitationem, ut rem nuper actam et omnibus notam, Juvenalis describit [2]), intra annos 80—92 confecta est [3]). De Quintiliano primum observandum est, nomen eius Juvenalem pro communi quodam exemplo rhetoris, advocati, hominis docti usurpare potuisse [4]). Versus enim illi: „Si fortuna volet fies de rhetore consul, Si volet haec eadem fies de consule rhetor" [5]), non ad rhetorem Quintilianum, a Domitiano insignibus consularibus ornatum [6]), sed ad Valerium Licinianum [7]) spectare videntur [8]). At faciamus Juvenalem revera designasse rhetorem Quintilianum. Quid deinde? Num in Dodwelli sententiam, exitum rhetoris ad Hadriani aetatem (ann. 118 p. Chr.) proferendum esse eamus? [9]) Immo vero nunc inter omnes fere constat, Quintilianum Nerva imperante aut adeo Domitiano fato concessisse [10]). De quodam vero Quintiliano, quem Plinius „modicum facultatibus" nominat [11]), res confecta est; nam „non pro rhetore", ut iam Gesnerus recte observavit [12]), nomen hoc positum. Quibus nominibus duo etiam subiungam: Mathonis causidici, qui rem suam sub Domitiano

---

[1]) Strauch, l. l. p. 36.

[2]) Sat. VII, 82—87.

[3]) Dodwellus, in annalibus Velleianis, Quintilianeis, Statianis. Oxonii, 1698 p. 202 sq.

[4]) Sat. VI. 75. 280. VII, 186.

[5]) Sat. VII. 197—198.

[6]) Weidner, ad Juven. p. 185.

[7]) Plin., Ep. IV, II: „Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? Praetorius hic modo inter eloquentissimos causarum actores habebatur, nunc eo decidit, ut *exul de senatore, rhetor de oratore fieret.* Itaque ipse in praefatione dixit dolenter et graviter: *quos tibi fortuna ludos facis! facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores"!* Cf. Imhof, T. Fl. Domitianus. Ein Beitrag zur Geschichte d. römischen Kaiserzeit, Halle, 1857 p. 94.

[8]) John Levis, D. J. Juvenalis Satirae with a literal english prose translation and notes. London, 1873 p. 382. — Ribbeck, praef. p. XI. — Stampini, l. l. p. 35.

[9]) Dodwellus, Annales, p. 138 sq.

[10]) Rothius, in praef. ed. Suetonii, p. LXXVII. — Strauch, p. 35. — Synnerberg, p. 76.

[11]) Plin. Ep. VI, 32, § 2.

[12]) Ad Plin. l. l. p. 243 (ed. Lips. 1770). — cf. Hermann, De sat. sept. tempor. p. 17 et 18. — Strauch, p. 35 n. 5.

decoxit [1]) eique, sine dubio, haud multis annis superstes fuit [2]), et aurigae Lacernae vel Lacertae [3]), qui, si veteri scholiastae fides habenda, eodem tempore notus fuit [4]). Adde, quod externae rationes eo ducunt, ut Traianum a Juvenale in satira septima laudibus exornatum concludamus. Quid enim? Num „temporum saevitiae“ [5]) memor Juvenalis, eum principem, sub quo „spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia“ [6]), silentio praeterire potuit? Qui quidem princeps ita eos, qui litteris operam dabant, adiuvit et sublevavit, ut tristissimam litterarum imaginem in hac satira expressam in tempora eius cadere existimare minime consentaneum sit [7]). Recte igitur Stampinus: „iniuste tamen fecisse Juvenalis, si Traiani prorsus oblitus Hadrianum laudibus extollere voluisset quod

„solus . . . . tristes hac tempestate Camenas respexit.“

Illud enim *solus,* si Hadrianum a Juvenale hoc loco solum laudatum putemus, quid significat, nisi omnes, qui ante eum summam imperii obtinuissent ipsumque Traianum de litteris colendis honorandisque minime cogitasse“ [8]). Praeterea, „si vel maxime concedamus liberaliorem Hadrianum fuisse, ipsi huic liberalitati non respondent laudes, quas neminem fugiet neutiquam tantas esse, quantae Hadriano et debebantur et sine dubio ab aequalibus impertitae sunt, sed satis modicas et ut Graeci aiunt τοῦ ἀφοσιοῦσθαι ἕνεκα praemissas, ne communi omnium reprehensione Caesarem quoque, cuius laedendi causas procul habebat, complecti videretur“ [9]). Quae cum ita sint, non dubitamus, quin Juvenalis ad Traianum

---

[1]) Sat. VII, 129.

[2]) Uberius de Mathone in libr. meo „Первая сатира Ювенала“, Рига, 1875 p. 98—99 disputavi.

[3]) Sat. VII, 114.

[4]) Schol. ap. Jahn. p. 283: „russatus Lacerta sub Domitiano auriga fuit, ut Probus ait.“ Cramer, In sat. Juv. comment. vetusti, p. 290.

[5]) Juv. Sat. IV, 151.

[6]) Plin. Paneg. c. 47.

[7]) Synnerberg, p. 74.

[8]) Stampini, p. 35.

[9]) C. Fr. Hermann, De Sat. sept. temp. p. 19.

se converterit in eiusque benignitate et indulgentia[1]) omnem spem et rationem studiorum posuerit[2]).

Restat, ut paucis demonstrem, ne exilii quidem tempus, de quo infra fusius disputabimus, cum Friedlaenderi de Juvenalis anno natali ratiocinationibus congruere. At omnino, ut iam Strackius recte observavit, homo ille doctus exilii quaestionem in medio relinquere videtur[3]). Qui quamquam de veterum testimoniorum fide minime in hac re dubitat[4]), primo tamen „quo relegatus sit et a quo imperatore prorsus in incerto“ [5]) relinquendum putat. Tum ambigitur, „in cuius aulae deliciis histrio ille fuerit, qui illis versibus (satir. sept.) offensus impetravit, ut poeta sub specie honoris urbe summoveretur“ [6]). Deinde „hanc relegationem certe non in extremam eius senectutem cadere“ conicit et in universum assentitur Borghesio, qui Juvenalem a Crispino, sub Domitiano in praefectura praetoris Cornelii Fusci collega (intra ann. 92—101), Roma expulsum esse exposuit[7]). Postremo „poetam post ann. 92 exulasse, dummodo ante ann. 101 revocatus sit“, affirmat[8]). Has tam varias coniecturas nescio quo modo percipiam. Nam satis superque constat, Juvenalem propter versus in quendam histrionem compositos post quadragesimum demum vitae annum (nam ad mediam fere aetatem Romae declamavit) in exilium missum esse. Itaque nullo modo fieri potuit, ut intra 92 et 101 ann. exularet,

1) Cf. Sat. VII, 20—21.

2) Apposite Vescovius, Le satire di Giovenale, prefazione, p. XV: „La settima satira porta con sè la sua fede di nascita; la quale deve essere avvenuta durante l'impero di Trajano, e piuttosto sul principio che sulla fine. Il suo colore, l'impeto. e la veemenza lo dicono chiaro. Le satire che da segni manifesti appariscono scritte dal poeta posteriormente sotto Adriano, sono per questo lato molto distanti da quella: e tale distacco non si spiega altro che ammettendo un intervallo di parecchi anni tra questa e quelle. La settima satira, inoltre, comincia con un elogio dell' Imperatore . . . . e tale elogio non può rivolgersi che a Traiano.“ Cf. ibid. p. XVI, XVIII et 195.

3) Strack, De exilio, p. 31.

4) Ibid. p. 5.

5) Ibidem.

6) Ibidem.

7) Ibidem.

8) Ibid., p. 6.

si, ut Friedlaenderus opinatur, ann. 67 natus esset. Inde sequitur, ut aut haec aut illa sententia falsa sit. At quominus exilium Juvenalianum ad Traiani vel Hadriani tempora removeamus multa, ut opinor, ac firmissima argumenta, de quibus infra nobis disputatio erit, obstare videntur [1]). De Juvenalis vero natali anno, a Friedlaendero proposito, satis mihi disputasse videor.

Altera sententia a Weidnero prolata est [2]). Testimoniis antiquarum vitarum sine causa idonea abiectis [3]), Juvenalem ann. Chr. 57 natum esse affirmat [4]). Ad hanc coniecturam comprobandam satis habet dixisse, auctorem satirae sextae, quae anno 116 vel 117 post Chr. nat. conscripta manifestam summae indignationis notam atque orationis colorem ingenii Juvenaliani proprium ostendit, septuagenarium senem esse non potuisse [5]). Sed quis neget, Juvenalem etiam septuagenarium, hac „recta senectute" [6]), cuius ipse meminit [7]), usum esse? Nonne usu rerum quotidiano, ut recte Synnerbergius monuit, „edocti sciunt omnes, quantopere vel unus annus ad ingenium senis immutandum debilitandumque valeat" [8]). Praeterea negandum non est, Juvenalem sextam satiram alio tempore scripsisse alio emisisse. Nam non solum in hac satira, sed in aliis quoque lusum et indignationem tam aegre discernas, ut interdum epigrammatum potius seriem laxa sententiarum continuitate iunctam legere videaris [9]). Dubium itaque non est, quin carmen tam longum tantaque ubertate rerum copiosum, non uno tenore conscriptum sit, sed multis rebus postea ab ipso scriptore

---

1) Vide praeterea quae supra p. 7—9 de hac re diximus.

2) In satur. Juven. edit., Einleit. § 4 sq.

3) Ibid., § 2.

4) Ibid., § 5.

5) Ibid., § 3 et 4.

6) Sc. nondum incurvans corpus, nondum iners et languida, sed operosa, agens ac moliens aliquid, qualem laudat Cicero, De senect. 26. Cf. Gell.. X, 28 et Censorin. De die nat. 14.

7) Sat. III, 26.

8) Op. laud. p. 89. — Haec etiam ad Stampinum (l. l. p. 18) spectant, qui sine ulla idonea causa Juvenalem octogenarium satiras XIII et XV brevissimo temporis spatio interiecto conscribere potuisse negat.

9) Hermann, praef. ed. Juv. p. VIII.

additis, mutatis, pertractatis, ex epigrammatum serie in unum corpus colligatum et conflatum. Nec praetermittendum est, in hac satira nulla certa vestigia temporis inveniri, quae supra ann. 103 egrediantur. Nam stellam crinitam, diluvium, motum terrae aliaque in hac satira commemorata ad ann. 116 vel 117, ut Weidnerus ex auctoritate Friedlaenderi opinatur[1]), referenda nego. Qua in re Ribbeckio plane ecquidem assentior, qui vers. 407—412 satirae sextae tamquam Juvenale indignos reiciens, „non ex vita" sumptos esse colligit[2]). Cui Synnerbergius subiungendus est, qui in quaestione de vers. 407—412 temporibus enucleanda Heinrichium secutus, haec habet: „Fortuito sine dubio factum est, ut narratio Dionis[3]) tam proxime ad similitudinem rerum a Juvenale memoratarum accedere videatur. Si vero haec scribens de parietinis illis Antiochenis tunc recentissimis cogitasset, cur non solum non tot hominum cladem, sed ne periculum quidem imperatoris, quo imprimis rumores moverentur necesse fuit, memoraturus fuerit intelligi nequit"[4]). Res vero, quae apte in Domitiani tempora (ann. 81—96) quadrant, hae sunt. Primum feminarum mentio, quae post umbratiles pugnas ad verum certamen in arenam descendere solebant[5]). Ad Domitiani tempora item iurisconsultus Juventius Celsus[6]) et „archimimus"[7]) Latinus cum uxore vel amica Thymele referendi[8]), praeterea Eppia[9]), quae Fabricio Veientoni senatori, his temporibus notissimo[10]), nupta, per omnia maris pericula constanti pectore ludium comitata est[11]). Restat, ut pauca de satirae

---

1) Einleit., §§ 4, 12.

2) Der echte und der unechte Juvenal, p. 173. — Ed. stereot. p. 44.

3) Lib. LXVIII cap. 25 extr.

4) Synnerberg, p. 72.

5) Vers. 245. cf. Sat. I, 22 ibique libr. meum „Первая сат. Ювенала" p. 34.

6) Vers. 245. cf. Strauch, l. l. p. 34.

7) Schol. ad Juv. Sat. IV, 53.

8) Vers. 44 et 66. De Latino et Thymele uberius in libr. meo de satira prima p. 113—115 exposui.

9) Cf. Strauch, p. 50.

10) De Fabricio Veientone v. Commentarium meum ad Juven. Sat. III, v. 185 p. 43 (Журн. Мин. Нар. Просв. 1876 № 1.)

11) Vers. 82—113.

loco, quo nummi aurei, cum cognomentis Dacici et Germanici memorantur [1]), addam. Omnes fere ad h. l. interpretes nummos a Domitiano Dacorum et Germanorum victore cusos intelligunt. Re vera tamen, uti Rupertius [2]), Borghesius [3]), Imhofius [4]), Eckehlius [5]) observaverunt, nullus eiusmodi Domitiani nummus repertus est, complures vero Traiani, qui varias habent inscriptiones modo Optimi, modo Dacici modo Germanici. Cognomen Germanici Traianum eodem anno, quo adoptatus est, accepisse, docet Plinius [6]). Dacici vero post primum bellum Dacicum ann. 103 finitum sumpsisse nummi huius anni et Dio Cassius [7]) fidem faciunt. Quod si nummi Traiani, quod non dubito, hoc loco vere intellegendi sunt, licet inde colligi satiram sextam nullam omnino temporis significationem habere, quae supra ann. 103 egrediatur.

Ut rem de Juvenalis anno natali absolvam, *quaestionem de verbis „temporibus Claudii (Neronis)"*, quae in vita Henniniana leguntur, breviter perstringam [8]). Quod veteris vitae auctoris testimonium manifesta antiqui fontis vestigia prae se ferre, mihi persuasum habeo. Scholiasta enim, cum Juvenalis vitam exararet, hanc notitiam vel ex vetustiore vita vel ex eiusmodi fonte ubi anni, quo poeta natus est, manifesta exstabant vestigia, hausit. Aliter res explicari nequit. Ex ingenio suo iudicandive ratione vel propterea ad hanc rem scholiasta vel grammaticus pervenire non potuit, quod in satiris Juvenalianis ne minima quidem vestigia natalis poetae inveniuntur. Ad ratiocinationes vero artemque

---

1) Vrs. 205.
2) Commentar. in Juvenal. Augustae Taurinor. 1831 p. 196.
3) Annotazioni a Giovenale (in Oeuvres complètes, T. V, Paris, 1869) p. 511.
4) Domitianus, p. 54 annot.
5) Doctr. numm., VIII, p. 455.
6) Paneg. c. 9.
7) Lib. LXVIII, 10; cf. Eckhel, l. l. VI, p. 381, 398.
8) De Stampini coniectura, qui, Weidnerum secutus, Juvenalem ann. 57 p. Chr. natum esse voluit (p. 19), non est quod separatim disputem. Ipse enim quaestionem de anno natali poetae cum exilio eius sub Hadriano coniunxit (p. 19 et 57); quod falsum esse, infra demonstrabo. Praeterea omnia fere, quae hoc loco contra Weidnerum disputavi, etiam ad Stampini coniecturam referri posse manifestum est.

investigandi, quibus nunc homines docti excellunt, antiqui scholiastae, grammatici, interpretes omnino propensi non erant. Qui quidem cum nec interpretandi iudicandive arte neque aliarum rerum cognitione semper quantum opus esset valerent, persaepe nominum clarorum virorum factorumque eorum nullam rationem habuerunt. Haec in quaestionem de Juvenalis anno natali cadere manifestum est. Quae imprimis comprobant antiqua Juvenalis scholia, primum a Cramero, nuper ab Jahnio edita, in quibus ne vestigia quidem nominum Fontei et Junci consulum, quos supra memoravimus, insunt. Vetus commentator, cum scholia componeret tam aequo animo haec nomina in satiris legisse videtur, quam si ante oculos quendam Alledium, Peribomium [1]) vel quemvis alium, de quibus nihil praeter nomina est traditum, haberet. Apparet igitur, nec satirae nec scholia quicquam vitae auctori ad annum poetae natalem definiendum praebere potuisse. Ipsius commentatoris de hac re ratiocinationes, si verbum „*Neronis*" posterius in margine adscriptum [2]) excipias, item vix audiendae videntur. Itaque restat, ut verba „*temporibus Claudii*" e quodam vetustiore fonte, cuius vestigia in omnibus fere vitis perspiciuntur, hausta iudicemus. Ac de natali quidem Juvenalis hactenus.

---

[1]) Juv. Sat. II, 16 et V, 18.
[2]) Cf. Synnerberg, l. l. p. 17—19.

III.

De auctore exilii Juvenaliani.

De Juvenalis exilio tam vitae dissentiunt, ut prima fronte nihil omnino certi de ea re constitui posse videatur. In ipsius poetae satiris nulla fere huius rei vestigia exstant. In vitis vero diversa discrepantiaque traduntur. Ita vita e codice Vaticano, a Mommsenio descripta, Claudium exilii auctorem fuisse affirmat. Vita Achaintrii, quae dicitur Omnibona, Traiani nomen cum hac quaestione coniungit. Quattuor vero, Henniniana, Kulenkampiana, Divaei, Ruehleiana Domitianum exilii auctorem nominant. In Probiana altum de hac re silentium est. Quam diu exulaverit Juvenalis item in incerto est. Auctor vitae, quae Kulenkampii dicitur, poetam a Domitiano usque ad Antoninum Pium in exilio vitam produxisse affirmat. Duae vitae, Probiana et Omniboniana, Juvenalem „intra brevissimum tempus ex mentis aegritudine" in exilio fato concessisse narrant. Vitae vero Henniniana et Donati de Juvenale Romam ab exilio reverso testantur. In hoc uno tamen omnes vitae conveniunt, Juvenalem propter „quosdam versus" in Paridem pantomimum, qui tunc temporis apud imperatorem plurimum poterat, relegatum esse. Hi versiculi, qui, sine dubio, speciem epigrammatis prae se ferebant [1]), primum in audi-

[1]) Cf. Hermann, praef. ed. Juv., p. VIII.

torio recitati erant[1]), deinde vero, sub Traiano[2]), septimae satirae, in qua nunc exstant[3]), inserti sunt.

Ex his omnibus testimoniis gravissima ad tempus exilii recte definiendum mentio „histrionis" vel „pantomimi Paridis" nobis videtur. Hoc enim nomen, testimonio Apollinaris Sidonii comprobatum[4]), eadem antiqui fontis vestigia, quae supra observavimus, prae se ferre videtur. Sed cum duo pantomimi Parides, unus in deliciis apud Neronem, alter — apud Domitianum, memorentur, primum in eo ambigitur, uter ille Paris fuerit? Tum Omniboniana vita relegationem poetae ad Traiani tempora refert, in Probiana vero et Bodleiana nullum imperatoris nomen exstat, quare homines docti iam inde a Calderino[5]), Salmasio[6]), Dodwello[7]) in exilii auctore definiendo valde discrepant. Sic alii Neronem, alii Domitianum, alii Traianum vel Hadrianum praetulerunt[8]), nec defuerunt qui nulla ratione vitarum testimoniique Apollinaris habita celeberrimam illam „de exilio" quaestionem nihil esse nisi fabulam fictam et commenticiam demonstrare conarentur[9]). Atque hoc quidem negari non potest, difficillimum esse hanc aut illam sententiam probare, praesertim, si consideres, in satiris Juvenalianis nulla exilii manifesta exstare testimonia. Ac mihi quidem hanc quaestionem diligentius expendenti probatissimum semper videbatur, ad hanc rem enucleandam stabiliendamque testimonia antiquarum vitarum ac disceptationes de Juvenalis carminum temporibus haud sufficère. Res mihi aliter expedienda videtur, nimirum internis, ut ita dicam, rationibus vitarum, de quibus supra locuti sumus,

---

1) „Magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est" in nonnullis vitis legimus.

2) Cf. supr. p. 19—22.

3) Vrs. 90—92: „Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos Et Baream, tu nobilium magna atria curas? praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos."

4) Cf. supr. p. 11—12.

5) In edit. Juvenal. Venet. 1475.

6) Plin. Exercitation. in Solini Polyhist. T. I, p. 449.

7) Annales Velleiani, Quintilianei, Statiani, Oxon. 1698 p. 161.

8) Cf. Hermann, De sat. sept. temp., p. 3 et 4.

9) Cf. supra p. 2 ann. 2—5.

etiam externas subiungendas arbitror, quae aetas cuiusque mores principis ad exilium poetae quam maxime conferre potuerint? Verumenimvero paucorum illa versuum satira, quae Juvenali exilium paravit, aliter et ex re et ex tempore explicari potuit. Nam tum, iam quadragesimum vitae annum agens, „ad dignitatem equestris ordinis sua virtute pervenire meruit“ [1]). Deinde eo haud dubie tempore, ut titulus lapideus Aquini repertus testatur [2]), honorifico „flaminis Divi Vespasiani“ munere fungebatur [3]) arteque declamandi aliquod sibi nomen iam comparavit seque dignum praebuit, qui a Martiale „facundus“ appellaretur [4]). Itaque non adeo parvae existimationis vir ille Romae fuit, uti propter nonnullos versus in quendam pantomimum compositos urbe summoveretur. Nec praetermittendum est epigrammatum confectionem tam solitam his temporibus fuisse, ut ne summi quidem et gravissimi viri otio suo huius rei causa parcerent ludicramque poesin, quae haud raro omnes fere vitae conditiones attingeret, passim tractarent [5]). His omnibus rebus reputatis, non est cur dubitemus, quin praeter exilii causas, quas e vitis compertas habemus, plurimum ad hanc rem temporum conditio, mores ingeniumque principis eiusque cum viris Juvenali similibus consuetudo, contulerint.

---

[1]) Vita Bodleiana.

[2]) Cf. infr.

[3]) Cf. Marquardt, Alterth. IV. p. 425 n. 2920. — Pauly, Real-Encycl. VI, 1. 363.

[4]) Mart. Ep. VII, 91: „De nostro, *facunde,* tibi Juvenalis agello Saturnalicias mittimus ecce nuces.“ — Hic liber epigrammatum, ut Friedlaenderus docet (De temporibus librorum Martialis Domitiano imperante editis, Regimonti, 1862), ann. 92 p. Chr. nat. editus est. — Cf. vit. Kulenkamp.: „Declamavit non mediocri fama.“

[5]) Plin., Ep. IV, 14 § 2—5: „Accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter coenam oblectamus otium temporis. His iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius: atque ipsa veritate tentamus efficere, ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant. Ex quibus tamen si nonnulla tibi paullo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuae cogitare, summos illos et gravissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse, quae nos refugimus, non quia severiores (unde enim?), sed quia timidiores sumus.“ Cf. Ep. VII, 4.

Itaque ne incassum disputare videamur, *Domitiani primum aetatem* examinemus.

Sub Domitiano (81—96) quadraginta annos Juvenalis explevit. Claudio et Neroni superstes cruenta bella inter Galbam, Othonem, Vitellium vita superavit. Vespasiani et Titi temporibus, dum populus ex magna perturbatiane animorum et rerum requiem quaerit, Juvenalis, qui per triginta fere annos ruentes in peius antiquos civitatis mores animadvertebat, vires ingenii in unum conferebat, omnia, quae viderat quaequae senserat, ipse secum reputabat animoque haec, ut ipse ait, ante tubas volutabat [1]) nec prius plicas velorum integras explicuit [2]), quam omne crimen in arduo positum animadvertisset [3]). In iuvenilem animum alte descenderat turpitudo maximorum scelerum, quibus aetas laborabat. Magna iracundia commotus [4]) iam summa cum indignatione in quolibet scelere obrutos invecturus erat. Idoneum tempus ad vulnera civitati inflicta sananda advenire videbatur morumque turpitudo quam maxime ad satiras scribendas incitabat [5]). Sed spes Juvenalem fefellit. Mitis initio imperii [6]), Domitianus „aliquandiu se varium praestitit, mistura quoque inaequabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit“ [7]). Mox tamen innata

[1]) Sat. I, 168—169: . . . „Tecum prius ergo voluta Haec animo ante tubas.“ — His rebus, ut opinor, apte longum Juvenalis silentium explicari potest. Cf. vit. Henniniana et Donati: „diu tacuit.“

[2]) Sat. I, 149—150: „ . . . . Utere velis! Totos pande sinus!“

[3]) Ibid., v. 147—149: „Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat Posteritas, eadem facient cupientque minores, Omne in praecipiti vitium stetit.“

[4]) Ibid., v. 45: „Siccum iecur ardeat ira“.

[5]) Ibid., v. 63: „Nonne libet medio ceras implere capaces Quadrivio.“

[6]) Suet. Dom. 9: „Inter initia adeo ab omni caede abhorrebat, ut edicere destinavit ne boves immolarentur. Cupiditatis quoque atque avaritiae vix suspicionem ullam dedit; immo magna saepe non abstinentiae modo, sed etiam liberalitatis experimenta. — Apposite Boissius (Juvénal et son temps, Revue des deux mondes, Mai, 1870, 1 livr., p. 154): „Cette tyrannie parut plus lourde parce qu'elle était moins attendue; on détesta Domitien et pour les crimes quil avait commis et pour les espérences quil avait trompées.“ — Uberius de hac re v. ap. Imhof. l. l. p. 35 sq.

[7]) Suet. Dom. 3. — Peter, Geschichte Roms. III Bd. 2 Abth. Halle, 1869 p. 114.

suspicio, rebus adaucta externis [1]), omnem non solum liberalitatem, sed etiam abstinentiam in eo compressit [2]). Infensus virtutibus, invidus, natura praeceps in iram [3]), Caligulam et Neronem crudelitate superavit: illi enim saeviebant clam, hic vero — palam [4]). Contra pecuniosos optimisque artibus et doctrina excultos maxime saeviebat; quos vel relegabat vel capitis damnabat [5]). „Δομιτιανὸς δὲ ἦν μὲν καὶ θρασὺς καὶ ὀργίλος, ἦν δὲ καὶ ἐπίβουλος καὶ κρυψίνους, ὥστε ἀφ' ἑκατέρων τῶν μὲν τὸ προπετὲς τῶν δὲ τὸ δόλιον ἔχων, πολλὰ μὲν ὡς σκηπτὸς ὀξέως ἐμπίπτων τισὶν ἐλυμαίνετο, πολλὰ δὲ καὶ ἐκ παρασκευῆς ἐκακούργει“ [6]). „Cum velut bestia spem inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. Obversabantur foribus horror et minae, et par metus admissis et exclusis. Ad haec ipse quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret“ [7]). Sic cum viveret, domum suam multitudine libertinorum, amicorum, delatorum, hoc hominum genere circumdedit, quod publico exitio repertum per praemia eliciebatur [8]). Tum

---

[1]) Imhof, p. 38 sq.

[2]) Suet. l. c. — Zeller, Les empereurs romains, caractères et portraits historiques, 3 éd. Paris, 1869, p. 190.

[3]) Tacit. Agr. c. 39, 41, 42.

[4]) Meiners, Geschichte des Verfalls der Litterat., der Wissenschaften und der Sprache der Römer, Wien und Leipzig, 1791 p. 84: „Caligula und Nero waren nicht weniger grausam, als Domitian, allein sie waren offen in ihren Grausamkeiten, wie in ihren Ausschweifungen; Domitian hingegen war um desto furchtbarer und wilder, je freundlicher er schien.“ Weidner, ad Juven., p. 95: „Der letzte der Flavier war ein Feiger, heuchlerischer, heimtückischer Bösewicht. Unter ihm herrschte, wie Tacitus sagt, stummes Grauen, er lag wie ein Tiger über einer halberwürgten Welt.“ — Peter, l. l. p. 140.

[5]) Cf. Suet. Dom. 10—12.

[6]) Dio Cass. LXVII, 1. § 1.

[7]) Plin., Paneg. c. 48. Cf. ibid. c. 49 et 72.

[8]) Cf. Tac. Ann., IV, 30. — Zeller, l. l. p. 195: „Un réseau d'éspions, dont les délateurs de la cour tenaient les fils, couvrit Rome et tout l'empire. On vit alors les délations et les condamnations se multiplier comme sous Tibère et Néron, dans les provinces comme à Rome.“ — Imhof, l. l. p. 112 et 127.

praecipua miseriarum pars erat videre et aspici[1]). Quolibet et accusatore et crimine insontes Roma emittebantur vel capitis damnabantur[2]) et Crispinum, Regulum, Latinum, Massam Baebium, Carum Metium aliosque saevos delatores haud raro innocens sanguis parfundebat[3]).

Quae civitatis eadem litterarum artiumque misera erat conditio. Omni fere dicendi audiendique libertate adempta, litterae in peius ruebant[4]). Nec eruditos ad praeclarum laborem Caesar acuebat nec ipse litteras artesque fovebat[5]). Tum virtus suspecta, inertia in pretio erat[6]). Iam ab initio imperii studia liberalia Domitianus neglexit; praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris nihil lectitabat[7]). Munificentia, quam in litteras conferre videbatur, eo imprimis spectabat, uti princeps gloriando extolleretur, litteris vero parum profuit[8]). Severa censura ingenia litterasque

[1]) Tac. Agr. c. 45.

[2]) Vid. libr. meum qui inscribitur „Первая сатира Ювенала," p. 101—103. Imhof, p. 73.

[3]) De his uberius in libr. meo supr. laud. p. 94—115 disputavi.

[4]) Cf. interpret. ad Tac. Agr. c. 2 et 3. — Imhof, p. 132, 135, 136. — Peter, 2, p. 140. — Widal, Juvénal et ses satires, p. 165.

[5]) Imhof, p. 135: Er warf die lästige Maske bei Seite, die Bücher wurden nebst dem ganzen litterarischen Apparate verbrannt . . . Selbst geschäftliche Arbeiten, Briefe, Reden und Edikte, liess er sich fortan von Anderen fertigen. . . Eine solche vollständige Gleichgültigkeit . . . musste nur erschlaffend und erkältend wirken, selbst wenn der eiserne, von Jahr zu Jahr immer schwerer werdende Druck des Despotismus gegen jede freiere Aeusserung in Schrift und Wort nicht vielen Zweigen von vorn herein Luft und Licht entzogen hätte."

[6]) Plin. Ep. VIII, 14 § 7.

[7]) Suet. Dom. c. 20.

[8]) Cf. Imhof l. l.: „ . . . Die indirekten Verdienste Domit. um die Wissenschaft und schönen Künste, seine Sorge für die Wiederherstellung der abgebrannten Bibliotheken und die Belohnungen, die er an den neu gegründeten Festspielen an Redner und Dichter vertheilte für seine eigene Regierung nur gering anzuschlagen. Was halfen prunkende Büchersammlungen, deren Schätze man nicht frei und ehrlich ausbeuten durfte, was hatte ein in der virtuosen Schmeichelei gespendeter Ehrenkranz mit der Geistesbildung der Nation zu schaffen? Alle diese scheinbaren Hebel der Wissenschaft und Poesie waren und blieben nur Selbstverrherrlichungen des eitlen Despoten, der Litteratur kamen sie nicht zu gute."

graviter oppressit[1]). Aurea recitationum aetas in peius ruebat[2]). Sapientiae professores, rhetores, poetae expulsi[3]), „ne quid usquam honestum occurreret"[4]). Hi vero, qui superfuerunt, quamquam ingenio valebant, miserrime vivebant; nemo enim in musas hoc tempore afflictas oculos coniciebat[5]). Soli Statius et Martialis, quos Domitianum blandis laudibus adulationibusque cumulare non pudebat, securi vivebant; sed ne illi quidem sorte sua contenti erant multa sub vitae occasum duriora perpessi[6]).

His duris saevisque temporibus[7]), cum „per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercium ademptum esset"[8]), tristissima virorum bonorum Plinii Secundi, Taciti, Juvenalis fuit conditio. Qui cum nec adulari nec tacere possent, quotidie fere in summo discrimine capitis, exilii, relegationis versabantur. Plinius, cum videret, quae conpendia apud „insidiosissimum principem" ad honores paterent, longius, ut ipse ait, iter maluit[9]) sortemque Senecionis subita solum morte Domitiani effugit[10]). Nec Taciti melior conditio. Qui, quamquam singulari Domitiani benevolentia utebatur, tamen in animo simultates contra principem nutriebat[11]). Tristior ac periculosior Juvenalis erat conditio. Qui cum mores Romae magis magisque in peius ruere civitatique nobiles ac praestantes animas „impune auferri"[12]) animadverteret, a decla-

---

[1]) Cf. Janin, La poésie et l'éloquence à Rome au temps des Césars. Paris, 1864 p. 246—247. — Imhof, p. 136.

[2]) Imhof, l. c.

[3]) Ibid., p. 102 sq. Zeller, p. 183.

[4]) Tac. Agric. c. 2.

[5]) Imhof, p. 139.

[6]) Id., p. 137—138.

[7]) Juv. Sat. IV, 80: „dura tempora"; ibid., v. 151: „tempora saevitiae."

[8]) Tac. Agr. c. 2.

[9]) Plin. Paneg. c. 95. — Mommsen, in Herm. III, 1868 p. 84 sq.

[10]) Vid. libr. meum de Juvenalis satira prima, p. 112—113.

[11]) Hoc effusa laetitia, qua Tacitus Domitiano interfecto initiis principatus Nervae gratulabatur, comprobatur (Agr. c. 3).

[12]) Cf. Sat. IV, 150—152: „Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset Tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi Illustresque animas impune et vindice nullo!"

mando ad satiras scribendas se convertere constituit[1]). Itaque omnia, quae „digna Venusina credebat lucerna“[2]), observabat atque notabat. Initio imperii Domitiani (ante ann. 83) famosissimus Romae Paris pantomimus fuit[3]), qui tanto populi favore utebatur, ut a Martiale „Urbis deliciae“, „Romani decus theatri“, appellaretur[4]). Praecipue vero in deliciis matronis Romanis erat[5]), quarum Domitia, imperatoris uxor[6]), tanta saltatoris cupiditate flagrabat, ut a Suetonio haud absurde „Paridis histrionis amore deperdita“ appellaretur[7]). Quae cum magna gratia et potentia apud maritum uteretur, brevi effecit, uti Paris potentissimus aulae imperatoriae fieret[8]). Quae omnia Juvenali sine dubio nota fuerunt. Sed cum de iis loqui non auderet, satis habuit dixisse, Paridem pantomimum belli dignitates plurimis tribuisse; a civitatis principibus praemiis vel honoribus poetas non augeri; histrionem omnia dignitatis praemia largiri; eum nimirum in mercedem oblati sibi poëmatis de Pelopea vel de Philomela praefectos et tribunos militares facere[8]). Haec in auditorio „magna frequentia magnoque successu“[10]) recitata haud dubie „inter caeteras diei fabulas“, ut

---

[1]) Sat. I, 30: „Difficile est satiram non scribere.“

[2]) Ibid. v. 51.

[3]) Uberius de pantomimis v. ap. De l'Aulnaye, De la saltation théatrale, ou recherches sur l'origine, les progrès etc. de la pantomime chèz les anciens, Paris, 1790. — Grysar, Über die Pantomimen der Römer, Rhein. Mus. II, 1833, p. 77.

[4]) Epigr. XI, 13.

[5]) Cf. interpr. ad Juv. Sat. VI, 87.

[6]) Imhof, p. 28, 40, 128.

[7]) Suet. Dom. 3. Cf. Dio-Cass. LXVII, 3 § 1.

[8]) Imhof, p. 96: „Paris ... stand in ausserordentlicher Gunst beim Kaiser und in *steter* persönlicher Beziehung zum Hofe.“

[9]) Sat. VII, 82—92: „Curritur ad vocem iucundam et carmem amicae Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem Promisitque diem: tanta dulcedine captos Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi Auditur; sed cum fregit subsellia versu, Esurit, intactam Paridi nisi vendit Agaven. Ille et militiae multis largitur honorem, Semenstri digitos vatum circumligat auro. Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos Et Baream, tu nobilium magna atria curas? Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.“ — Cf. Hermann, De sat. sept. temp., p. 13. Francke, Exam. crit., p. 96.

[10]) Vita Prob. et Henniniana.

verbis Suetonii utar[1]), ad aures Domitiani venerunt; ipse enim Paris „delator erat pessimus et per hoc gratiam obtinuerat principis"[2]). Quo factum est, ut Domitianus „sui temporis vitia carpi"[3]) intellegens, „cum tantae auctoritatis virum publice punire non auderet"[4]), per honorem militiae urbe summoveret. At hic primum sane obici potest, Domitianum initio imperii non adeo crudelem fuisse, uti propter quosdam versus in pantomimum compositos iam tum notum Juvenalem relegaret. Tum multo utique gravior ea difficultas Domitiano obicitur, quod Paris primis imperii eius annis gratiosus fuit, mox adulterii suspectus gratia excidit ita, ut potentiam lueret supplicio anno 83[5]). Ad quae primum respondendum est, Domitianum iam initio imperii haud raro varium se ac suspiciosum praebuisse[6]); tum quis neget, Paridis et Domitiae vel maxime interfuisse, uti Juvenalis quam celerrime Roma expelleretur; pantomimus enim, qui tyranni familiaritate insolenter abutebatur, metuebat, ne Juvenalis invectionibus omni gratia repente excideret; uxor vero Domitiani identidem in metu erat, ne accusationibus Juvenalianis adulterii rumores addito tempore ad Caesaris aures pervenirent. Itaque ne intervallo quidem facto ambo summa ope apud Domitianum nitebantur, uti Juvenalis quam celerrime urbe summoveretur. At faciamus, Juvenalem Paride vivo Romae versatum esse. Quid tandem impedit, quominus eum post Paridis necem „extremis Domitiani temporibus", ut in vita Kulenkampiana exstat, in exilium missum credamus. Verumenimvero his „saevitiae temporibus"[7]), cum suspiria bonorum subscriberentur[8]) cumque velut uno ictu Domitianus rempublicam

---

[1]) Dom. c. 15.

[2]) Vita Vaticana. — Hoc delatorio officio, praeter Paridem, etiam alius pantomimus, nomine Latinus, fungebatur, de quo vid. in libr. meo de satira prima, p. 113—115.

[3]) Vita Bodleiana.

[4]) Vita Ruehliana. Cf. vit. Lipsian.: „cum palam in virum nihil auderet"

[5]) Dio Cass. LXVII, 3. Suet. Dom. 3. — Imhof, p. 96 97.

[6]) Imhof, p. 46.

[7]) Juv., Sat. IV, 151.

[8]) Tac., Agr. c. 45.

exhaurire decrevisset[1]), illis septimae satirae versibus tyrannus lacessi potuit, qui veterem ignaviam exprobrarent. Erat autem tum Domitianus „non solum magnae, sed et callidae inopinataeque saevitiae“ [2]) ac propter minimas causas non solum relegabat, sed haud raro capitis insontes sicuti sontes condemnabat[3]). Nec non verisimile est, alium tunc temporis potentissimum histrionem fuisse, qui versibus illis Juvenalianis tangi potuerit[4]). Adde, quod apud aequalem poetae, Quintilianum, satis manifestum, ut opinor, testimonium imperatoriae adversus Juvenalem irae exstat. Quintilianus enim, postquam de satiricis Romanorum poetis dixit, haec in fine scribit: „Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur“ [5]). Quae quidem verba, ut iam recte Heinrichius[6]), Voelkerus[7]) alii observarunt, ad Juvenalem, ut Quintiliani aequalem, referenda sunt. De Strackii sententia, Quintilianum propterea de Juvenale loqui non potuisse, quod illo tempore (circ. 95 ann. p. Chr), quo Quintiliani liber ederetur, „Juvenalis minime non modo de edendis satiris, sed ne de scribendis quidem cogitaret“ [8]), non est quod plura moneam. Nam primum supra observavimus[9]), priorum satirarum initia iam Domitiano imperante facta esse. Tum perfacile fieri potuit, uti Juvenalis, antequam satiras ederet, eas „paucis scholasticis hominibus et doctis“ [10]) recitaret[11]). Quam ob causam

---

[1]) Ibid., c. 44. — Haec omnia ad ann. 93 referenda esse docet Peter, III, 2 p. 128, 132. Imhof, p. 64.

[2]) Suet., Dom. c. 11.

[3]) Ibid., c. 10: „Occidit Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras, librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis;.. interemit ... Mettium Pompusianum, quod... depictum orbem terrae in membrana contionesque regum ac ducum ex T. Livio circumferret; .... Junium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros, cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque summovit.“

[4]) Cf. vit. Kulenkamp.: „expertus est quantum unius histrionis ira valeret.“

[5]) Quint., X, 1 § 94.

[6]) In edit. Juven. satir. Bonnae, 1839, II p. 18.

[7]) Juvenal, p. 17.

[8]) De exilio, p. 5 et 6.

[9]) Vid. p. 18.

[10]) Salmasius, Exercit. Plin. p. 452.

[11]) Hanc sententiam, praeter Salmasium (l. c.), Weberius in editione Juvenalis germanica (Halle, 1838, p. 226 et 227) amplexus est.

Quintiliano, ut satirarum scriptor, qui „olim nominabitur“, notus esse potuit. Sed quid causae est, cur Quintilianus aperte Juvenalem non nominaverit? Nimirum id, quod poeta tunc temporis odium permoverit Domitiani, cui Quintilianus, ut liberorum Clementis, Domitiani patruelis, praeceptor [1]), plane deditus erat. Aliter res, ut opinor, iam propterea explicari nequit, quod Juvenalis iam tum sibi aliquod nomen ingenio suo comparavit. Quae cum ita sint, non est quod Juvenalem extremis Domitiani temporibus in exilium missum negemus.

Nunc ad ea, quae a *Synnerbergio, Stampino, Strackio, Christio* de Juvenale Domitiani temporibus exule dicta sunt, pergamus.

Synnerbergius, duobus libri septimi epigrammatis Martialis [2]) Juvenalem sub Domitiano Romae versatum esse probari affirmat [3]). Audio. Attamen Friedlaenderus, cui Synnerbergius plane assentitur [4]), septimum Martialis librum anno 93 scriptum esse docet [5]). Domitianum vero a. d. XIV Kal. Oct. 96 ann. occisum esse constat [6]). Nihil igitur impedit, quominus exilium Juvenalis intra annos 93 et 96 ponamus. Dubitationes vero Synnerbergii [7]) et Strackii [8]), tam levem poenam, quam Juvenalis sustinuisse putandus est, a Domitiani moribus ipso illo tempore ad summam saevitiam propensi abhorrere, nullius fere momenti esse non est quod moneam. Nam Juvenalis non adeo periculosus Domitiano adversarius fuit ut Arulenus Rusticus vel Herennius Senecio nec quicquam tale commisit, cur morte, „brevibus Gyaris vel carcere“ [9]) dignus haberetur. Nec praetermittendum est, Juvenalem, ut iam supra monui-

---

1) Hermann, De sat. sept. temp. p. 14. — Synnerberg, p. 75.

2) Epigr. 24 et 91.

3) De temporibus, p. 85.

4) Ibid.

5) De temporibus libror. Martialis, p. 10.

6) Suet. Dom. c. 17. — Imhof, l. l. p. 124.

7) Loc. laud.

8) De exilio, p. 22.

9) Sat. I, 73. — Gyaros, insula maris Aegei, una e Cycladibus, gravioribus destinata exiliis (nunc Joura). Vid. Lewis, Juvenalis satirae with a literal english prose translation and notes, London, 1873, p. 237 et meum commentarium ad Juv. satir. primam (Журн. Мин. Нар. Пр. 1875 N. 3) p. 27.

mus, sub hoc tempus Flaminem Divi Vespasiani fuisse, quare Domitianus, ut iam Bergius recte observavit, satius duxit „sub specie honoris“ [1]) eum relegare, quam capitis damnare [2]). Quod quidem apte vitae Lipsianae testimonio comprobatur, in qua haec exstant: „Versibus iis (in Paridem) publicatis Domitianus pudore et ira de Juvenale amovendo cogitavit. Sed cum palam in virum nihil auderet, sub honoris obtentu militibus praefecit, qui in Aegyptum ducebantur“. Eodem haec verba Ruehlianae spectant: „Quibus (versibus) Domitianus sua tempora sentiens denotari pudore et ira correptus et qualiter Juvenalem deprimeret apud se excogitavit, sed cum tantae auctoritatis virum publice punire non auderet, militibus romanis in extremas partes Aegypti tendentibus ..... sub obtentu honoris sub dignitatis simulatione .... praefecit.“ Adde, quod „in extrema Aegypti parte“ [3]) exilium, non tam mite poenae genus fuit, ut Synnerbergius et Strackius opinantur; omnem enim Aegyptum Juvenalis recte „horridam“ appellat [4]), locus vero exilii, Syene, qui Domitiani temporibus romani imperii terminus propemodum fuit praesidioque romano defendebatur [5]), haud dubie eo magis barbarus incultusque haberi debet. At de exilii loco nihil hic amplius dico. Hoc solum moneo, ne silentium quidem de hac re in poetae carminibus exilii suspicionem afferre posse. Nam nec de exilio suo Traiani temporibus, quem Synnerbergius pro Domitiano substituit [6]), nobis Juvenalis tradidit et omnino saepius de aliorum quam de suis rebus loqui solet. Adde, quod Martialis quidem de Juvenale a Domitiano urbe summoto

---

[1]) Vita Kulenkamp.

[2]) Juvenalis Satiren, übersetzt und erläutert von A. Berg, Stuttgart, 1863. Einleitung, p. 18.

[3]) Vita Probian. et Henniniana.

[4]) Sat. XV, 44—45. Cf. Mart. Ep. IV, 42: nequitias tellus scit dare nulla magis.“ Plin. Paneg. 31: „ventosa et insolens natio.“ Tac. Hist. I, 11: „Aegyptus provincia .... inscia legum ignara magistratuum.“ — Döllen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Juvenalis, Kiew, 1846 p. 324 sq.

[5]) Stampini, p. 63.

[6]) Libr. laud. p. 79 sq. 92.

silentium, contra Synnenbergii[1]), Stampini[2]), Christii[3]) opiniones, nullam huius rei offensionem praebere potest. Nam ex his Martialis testimoniis, ut Schwabius nuper rectissime monuit, id solum recte sumi potest, Juvenalem ann. 92 et 101—102 Romae versatum esse; quare nihil impedit, quominus exilium ad extrema Domitiani tempora referamus[4]). Ne Stampinus[5]) quidem et Strackius[6]) probandi, cum ex Suetonii Pliniique Secundi de Domitiano exilii auctore silentio suspicionem huius rei moveri posse affirmant. Nam nec Aurelius Victor, nec Aelius Spartianus, nec Dio Cassius quicquam de exilio Juvenalis sub Hadriano, quem Stampinus pro Domitiano proponit[7]), nobis tradiderunt. Silentium vero, quod Suetonius et Plinius Secundus de hac re agunt, facile explicabitur, si meminerimus, quantopere rerum gestarum scriptores crudelitatum temporis sui tristis descriptione fatigati fuerint[8]). Operae pretium est hic Taciti verba ex Annalium libris referre. Ita de Tiberii aetate (25 p. Chr. ann.) haec legimus: „Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitii causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate“ [9]). Idem de Neronis temporibus (ann. 66): „Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortes tanta casuum similitudine memorem, meque ipsum satias cepisset aliorumque taedium exspectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen et continuos asperantium; at nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia

---

1) Ibid., p. 86.
2) L. l. p. 40.
3) Über die Art und Tendenz der Juvenalischen Personenkritik, Landskron in Böhmen, 1881 p. 22.
4) Teuffel-Schwabe, Röm. Literat.-Geschichte, 4. Aufl., p. 757.
5) L. l. p. 40.
6) L. l. p. 24.
7) Ibid., p. 43 sq.
8) Cf. libr. meum de Juven. sat. prima, p. 113.
9) Ann., IV, 33.

restringunt"[1].... Adde, quod poena, quam subiit Juvenalis, speciem potius honoris militaris, quam exilii vel relegationis habuit nec longinqua aut nimis molesta fuisse videtur. Quam ob rem cum Nervae principatu Romam redisset poeta, nec ipsi exilium malos eventus tulit nec id circo amicorum fuit eum miserari. Quibus rebus et scriptorum Juvenali aequalium silentium de exilio facile explicatur et fortasse huc spectantes sententiae discrepantes antiquarum vitarum. Sed haec hactenus. De Synnerbergii sententia, „neminem facile sibi persuasurum, poetam acerrimo in tyrannum odio ductum omnia, quae ad mores eius carpendos vitiaque ostendenda valerent, non summo studio arrepturum esse[2]", hoc, opinor, dicere sat erit, Juvenalem non historicum esse, sed satiricum scriptorem, cuius non tam est singulorum vitia describere, quam in universum perditos aetatis suae mores castigando emendare[3]. Ac nonne satis odium suum in Domitianum patefecit, cum in satiris quarta et secunda in nequitiam crudelitatemque tyranni summa cum indignatione inveheretur[4]? Postremo Strackio contradicendum est, qui, Franckio praeeunte[5], exilii famam nil nisi veterum scholiastarum commentum arbitratur[6]. In ratiocinationibus suis et coniecturis homo doctus ingenii sui acumina eo imprimis intendit, ut id, quod iam pridem Duentzerus, Kempfius, Franckius somniaverant[7], demonstraret, Probianam aliasque vitas ex quibusdam singulos satirarum Juvenalis locos interpretandi conaminibus ortas et conflatas esse[8]. Ac revera negandum non est, nonnulla quae in [vitis leguntur ex antiquis commentariis vel interpretationibus singulorum Juvenalis versuum facile oriri

[1]) Ibid., XVI, 16.

[2]) De temporibus, p. 86.

[3]) Cf. orat. meam, „De eo quod summum est in satiris Juvenalianis" in universitate Charcoviensi habitam. Voroneschiae, 1876 p. 5.

[4]) Doetsch, Juvenal ein Sittenrichter seiner Zeit, Leipzig, 1874 p. 39, 48, 55, 56. Cf. Commentarium meum in Juven. satiram secundam (Журн. Мин. Нар. Пр. 1876 Nr. 2) p. 63.

[5]) Exam. criticum, p. 42 sq.

[6]) De exilio, p. 10.

[7]) Cf. supr., p. 2.

[8]) Ibidem.

potuisse; sic enim commode, ut Synnerbergius recte observavit, intellegi demonstrarique licet, quam ob causam nunc velut umbra quaedam vaga et incerta nobis de vita Juvenalis quaerentibus oblata sit[1]). Sed hoc loco certi, ut opinor, fines observandi sunt. Nam in Probiana et in aliis vitis nonnulla vestigia veteris narrationis satis clara et distincta remanserunt. Quo, praeter testimonia, iam supra allata[2]), exilii mentio pertinet, cuius famam vix quisquam ex ingenio arripere vel ex satiris fingere potuit, cum in poetae carminibus ne vestigia quidem huius rei exstent. Strackius, praeiudicata opinione captus, primum ex duobus satirarum locis[3]) tum e scholiis ad satiram quintam decimam[4]) exilii famam extitisse contendit. Sed frustra. Nam e versibus:

„Unde
Ingenium par materiae? unde illa priorum
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet
Simplicitas“ [5]),

et ex loco:

„Quod non dant proceres dabit histrio: tu Camerinos
Et Baream, tu nobilium magna atria curas“?[6])

non dico interpretandi iudicandive imperitus vetus scholiasta, sed ingeniosus quidem nostri aevi homo doctus nihil de exilio conicere potuit. Eadem de ultimis primae satirae versibus:

„Experiar, quid concedatur in illis,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina“,

recte dici possunt. E satirae vero quintae decimae versibus:

„Horrida sane
Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo“ [7]),

ut iam Salmasius [8]) aliique recte affirmarunt [9]), sequitur, poetam aliquando in Aegypto peregrinandi causa fuisse. Haud minus insulsa,

[1]) De temporibus, p. 9.
[2]) Vid. p. 6—10.
[3]) De exilio, p. 10.
[4]) Ibid., p. 19.
[5]) Sat. I, 150—152.
[6]) Sat. VII, 89 et 90.
[7]) Vers. 44—46.
[8]) Exercit. Plin. p. 452.
[9]) Uberius de hac re nuper disputavit Synnerbergius, p. 45—48. — Stampini, p. 60 et 61.

ne dicam ridicula, ea coniectura est, quam Strackius ex antiqui scholiastae verbis proposuit. Ad schol. enim Juvenalis satirae quintae decimae vers. 27: „*Nos miranda.* De se dicit Juvenalis, quia in Aegypto militem tenuit et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit", — haec annotavit: „Qua enim est brevitate simplicitateque, hoc scholion antiquum magis quam recentius *esse videtur.* Atque est *fortasse* et eis scholiis, quae commemoravi, et ipsis vitis antiquius. Quod si ita se habeat, haec utique vetustissima de poeta nota ipsa illius de exilio fabulae fons *esse possit*" [1]). At ubi argumenta ad has coniecturas comprobandas? Videat enim homo doctus, quae ipse, Matthia praeeunte [2]) de scholiis nobis tradiderit, cum ea „vitis iuniora esse" recte affirmet [3]). At ego haec omitto. Non est enim quod de coniecturis temere arreptis fusius disceptemus, praesertim cum Strackius mirum in modum se torquens ac macerans in exilii ratione illustranda ipse suis coniecturis et ratiocinationibus modo diffidat modo contradicat. Ita primum difficile esse iudicare fatetur, „unde exilium eiusque causam grammaticus excogitaverit." [4]) Tum, fabula de exilii fonte narrata [5]), haec adduntur: „Quocirca vitae auctor sic *forsitan* ratiocinatus sit" [6]). Et paulo infra de eadem quaestione „Ea *fere* grammatici fuit *cogitatio*" !? In ea autem disputationis parte, ubi de Suidae et Malalae testimoniis sermo est, haec habet: „Perfacile enim factum esse potest, ut vitae a tot librariis temptatae innumerae *antiquis temporibus narrationes* exstarent, quarum paucissima pars ad nos perveniret." [7]) Quae omnia quo modo cum Strackii sententia, vitas Juvenalis nil nisi futiles narratiunculas esse, reconcilianda sint, me nescire fateor. Nam si „antiquis temporibus innumerae vitae Juvenalis narrationes exstiterunt", quo modo, quaeso, fieri potuit, ut ex iis nihil ad nos

---

[1]) De exilio, p. 19.
[2]) De scholiis Juvenalianis, p. 6 sq.
[3]) De exilio, p. 6 sq. et 17.
[4]) L. l. p. 9.
[5]) Ibid., p. 10.
[6]) Ibid., p. 11.
[7]) Ibid., p. 21.

veri ne casu quidem pervenerit. Diligentiores enim, quam ut quid temere atque ex arbitrio fingere auderent, vetustissimos Juvenalis vitae auctores fuisse puto. Quam ob rem tantum a Strackii sententia absum, ut non modo non arbitrer exilii mentione vitarum omnem fidem elevari posse, sed ex hoc ipso exilio, quod homo doctus impugnat, vel maxime apparet, non omnia vitarum testimonia ex ingenio temere arrepta vel e satiris deprompta esse. Ut rem absolvam, hoc monendum puto, non solum veteres testes in exilio affirmando mirum in modum uno ore consentire, sed etiam huic rei omnes recentiores, si Franckium, Duentzerum, Kempfium, Strackium excipias, adstipulari. Eorum clarissimi hi sunt: C. Fr. Hermannus [1]), Baehrius [2]), Teuffelius [3]), Bernhardius [4]), Sieboldus [5]), Widalius [6]), Borghesius [7]), Bergius [8]), Vescovius [9]), Luisius [10]), Weidnerus [11]), Synnerbergius [12]), Meinertzius [13]), Friedlaenderus [14]), Stampinus [15]), Ribbeckius [16]).

Nunc examinemus, num *sub Traiano* Juvenalis in exilium mitti potuerit [17]). Qua in re hoc primum observari debet, vitam

---

1) Praefat. Juven. edit., p. IV sq. — De sat. sept. temp. p. 3 sq.

2) Gesch. d. römisch. Literat., I. Bd. 1. Abth. p. 691 (4 edit.).

3) L. laud., p. 756. — Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd., Bd. 43 p. 109.

4) Grundriss der römischen Literatur, Fünfte Bearbeitung, I. Abtheil. Braunschweig, 1869 p. 644.

5) Des Juvenalis sechste Satire, Braunschweig, 1854, Einleit. p. 4. — Die Satiren des Juvenalis mit metrischer Uebersetzung, Leipzig, 1858 in cap. quod inscribitur „Zur Lebensgeschichte des Dichters", p. XVI sq.

6) Juvénal et ses satires, introduction, p. X sq.

7) Annotazioni a Giovenale, p. 512.

8) L. l. p. 18.

9) L. l. p. XVIII sq.

10) L. l. p. 207 sq.

11) L. l. Einleit. § 21 sq.

12) L. l. p. 26 sq.

13) Zur Kritik und Erklärung der Satiren d. Juvenal, Konitz, 1871 p. 5 et 6.

14) Vid. supr. p. 18 sq.

15) L. l. p. 19 sq.

16) Edit. laud., praefat. p. XI, XII. — Der echte und der unechte Juvenal, p. 69. — Antiquiorum nomina huc pertinentia apud Hermannum in disputatione laud. De Juven. sat. sept. temp. p. 3 et 4 enumerata invenies.

17) De Nerone, Tito et Nerva, qui auctores exilii a nonnullis perperam

unde de Traiano, exilii auctore, comperimus [1]), adeo confusam ac perturbatam esse, ut ceteris multis in rebus postponenda sit. Nam non solum singularum rerum expositione ab aliis differt, sed etiam dicendi genere quam maxime reprehensione digna recte indicatur. Ita initio vitae singulari, verbo „panthonimimum" offendimur, ad finem vero, ut nonnulla alia vitia omittam [2]), ut consecut. cum indicativo coniunctum reperimus. Praeterea auctor vitae aliud erratum committit; nomen enim histrionis Paridis, qui sub Nerone et Domitiano notus fuit, ad Traianum detorquet. Nec praetermittendum est, hanc vitam non e quodam antiquissimo fonte fluxisse, sed e praecedenti, quae Bodleiana dicitur, hunc inprimis in modum contractam et mutatam esse, ut (omitto alia a Synnerbergio laudata) [3]) scriptor eius finem vitae Bodleianae [4]), quem non intellexisse videtur, in vita sua omiserit, Traiani vero nomen pro „tyranno" vel „imperatore", ut in Bodleiana legitur, temere substituerit. Quae cum ita sint, auctorem huius vitae in monasterio Sancti Salvatoris de Bononia repertae [5]), non sciolum quendam scholiastam, sed otiosum medii aevi monachum fuisse [6]) puto [7]), nomen vero Traiani a scriptore vitae vel ex ingenio arreptum, vel, ut Stampinus Hermanno praeeunte [8]) conicit [9]),

---

tradebantur, res confecta haberi debet (cf. Hermann., De sat. sept. temp. p. 3 et 4. Synnerberg, p. 27—30. Stampini, p. 31—33. Strack, p. 21).

[1]) Vita Omniboniana, quae dicitur.

[2]) Synnerberg, p. 41.

[3]) L. l. p. 41.

[4]) „Sed tamen paulo post, ut sciret sibi iratum principem, in codicillis suis ad eum in exercitu mittendis inseruit: „et te Philomela promovit."

[5]) Jahn, l. l. p. 389.

[6]) Auctorem vitae grammaticum saec. XVI Omnibonum Leonicenum (v. Eckstein, Nomenclator philologorum, Leipzig, 1871 p. 330, 411) esse non potuisse docet Rupertius, in edit. Sat. Juven., Augustae Taurinorum, 1830, T. I, p. CXIX.

[7]) In hanc sententiam nuperrime ivit Strackius. in l. l. p. 25: „duas illas vitas (Bodleiana et Omnibon.) omnibus, quae exstant, iuniores esse persuasum habeo, praesertim cum in codicibus infimae notae legantur."

[8]) Juv. ed. praef. p. V et VII.

[9]) L. l. p. 42.

librariorum inscitia e vocabulo „tyranni" ortum atque mutatum [1]. Sed et alia haud minus gravia argumenta obstant, quominus Juvenalem Traiano imperante in exilium missum credamus. Jam Nerva philosophos a Domitiano expulsos Romam ab exilio revocavit, delatores relegavit [2]. Initio Traiani principatus „spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia" [3]. Ipse imperator litterarum studia fovebat atque honestabat, bibliothecas constituebat [4]; in philosophos, poetas et viros doctos se comem et facilem praebebat [5]. Dicendi libertas bonis reddita [6]. Ipse Caesar cum hominibus doctis sermonem saepe habebat [7]. Exiliis capitisque damnationibus bonorum finis constitutus. Dio Chrysostomus, Epictetes alii clarissimi viri sub Domitiano relegati Romam reverterunt [8]. Scriptoribus romanis tum „demum rediit animus" [9]. Delatores vel expulsi vel capitis damnati, accusationibus finis constitutus [10]. Moribus emendandis consulens Traianus effecit, ut populus „in pantomimis aversaretur artesque eorum damnaret" [11]. „Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans vel aegrotantes vel cum festos dies habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens, saepe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum laedens . . . liberalis in cunctos,

---

[1]) De nomine Traiani in cod. Mediolanensi (112—353 m.) apud Achaintrium (Jahn, p. 388) et in recentissimae aetatis schol. ad Sat. VII, 93 („codex Bibliothecae regiae Britannicae 15 B. XVIII olim Bongarsianus" ap. Hermannum, De sat. sept. temp. p. 9) postea addito v. ap. Hermannum, l. l. p. 12, 14. Strack, p. 27.

[2]) Peter, III, 2 p. 142. — Zeller, l. l. p. 203.

[3]) Plin. Pan. c. 47.

[4]) Dio Cass. LXVIII, 16.

[5]) Peter, l. l. p. 158. — Zeller, p. 207 et 215.

[6]) Plin., Ep. III, 18, 6: „liberius ideoque etiam libentius scribitur." — Zellerius (l. l. p. 202) Traiani aetatem ita definit: „Panégyrique, satire, histoire." Cf. Teuffel-Schwabe, § 330, 3.

[7]) Zeller, p. 215 sq. 224.

[8]) Zeller, p. 216.

[9]) Tac. Agr. c. 2 et 3.

[10]) Peter, p. 148, Zeller, p. 209. Cf. p. 206.

[11]) Plin. Paneg. c. 46.

publice privatimque ditans omnes et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum aedificans, multas immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum et placidum agens" [1]). Has tantas viri virtutes maxima omnium admiratio secuta est, ut non solum multitudo, sed etiam nobilissimi cives magnum et felicem eum nominarent et ut sequentibus imperatoribus hoc unum in senatu acclamaretur: „felicior sis Augusto, melior Traiano." Quae cum ita sint, illud nobis probatissimum erit, non ea indole Traianum fuisse, uti propter duos versus histrionis gratia poetam ex urbe depelleret. At Traianum morosum fuisse Pyladenque saltatorem amasse nonnulli obiciunt. Audio. At in Eutropii testimonio, supra laudato, iam satis manifesta documenta „civilitatis, moderationis, liberalitatis" Traiani deprehendimus. Quibus etiam haec Dionis adiungam: „τῇ φύσει οὐδὲν οὔτε διπλοῦν οὔτε δόλιον οὔτε τραχὺ εἶχεν; ἀλλὰ τοὺς μὲν ἀγαθοὺς ἐφίλει καὶ ἐδεξιοῦτο καὶ ἐτίμα, τῶν δὲ ἄλλων ἠμέλει· . . . . διαβολαῖς τε ἥκιστα ἐπίστευε, καὶ ὀργῇ ἥκιστα ἐδουλοῦτο" [2]). Adde Plinii Secundi de miti Traiani ingenio testimonium: „Nemo de severitate tua queritur et liberum est queri" [3]), et ipsius epistolam ad Plinium in qua se „non ex metu et terrore hominum aut criminibus maiestati reverentiam adquiri" fatetur [4]). Nec praetermittendum est, Traianum minime suspiciosum fuisse. Cum Licinium Suram praefectum nonnulli maiestatis accusarent, Traianus ipse ad eum venit servosque eius sibi barbam tondere et oculos illinere iussit [5]). Per viginti fere annos principatus eius (98—117) una solum coniuratio facta est, cuius dux tamen, Calpurnius Crassus senator, ignorante Traiano per senatum damnatus est [6]). Quibus plane haec Dionis de Traiano respondent: „τῷ τε δήμῳ μετ' ἐπιεικείας συνεγίνετο καὶ τῇ γερουσίᾳ σεμνοπρεπῶς ὡμίλει, ἀγαπητὸς μὲν πᾶσι, φοβερὸς δὲ μηδενὶ πλὴν

[1]) Eutrop. Hist. rom. VIII, c. 4.
[2]) Dio Cass., LXVIII, c. 5 § 3; c. 6 § 4.
[3]) Paneg. c. 46.
[4]) Epist. ad Plin. X, 86. — Cf. Strack, p. 28.
[5]) Peter, p. 146.
[6]) Eutrop. VIII, 4.

πολεμίοις ὤν. καὶ γὰρ θήρας καὶ συμποσίων ἔργων τε καὶ βουλευμάτων τε συμμετεῖχε σφίσι, καὶ πολλάκις καὶ τέταρτος ὠχεῖτο, ἔς τε τὰς οἰκίας αὐτῶν καὶ ἄνευ γε φρουρᾶς ἔστιν ὧν ἐσιὼν εὐθυμεῖτο" [1]). At faciamus, Pyladen apud Traianum Juvenalem propter duos versus accusavisse. Quid igitur? Si omnia, quae de Traiani indole moribusque diximus, respiciamus, illud nobis probatissimum erit, eiusmodi accusationem risum Caesaris excitare potuisse. Nam ipsos illos versus iam propterea ad se Traianus referre non potuit, quod in septima satira, cui versus illi inserti erant, a Juvenale se laudari videret [2]). At has laudes modicas frigidasque esse, nonnulli affirmant [3]). Haud recte. Nam ut Strackii verbis utar, „panegyricus satira non est, quae in transcursu tantum, ut dissimilitudinum coniunctio evadat, eis laudes tribuere solet, qui, cum plerique alii res utiles ac bonas contemnant, optime de eis merentur. Itaque et satira septima in Traianum sinceras cumulat et minime affectatas laudes ea sola de causa, ut quantum eius literarum hominumque literatorum favor a proceribus differat perspiciatur. Quod ut assequeretur, nihil erat cur pluribus et disertioribus laudibus eum efferret" [4]). Quam ob rem haec quae ad Traianum spectant primo, ut ita dicam, aspectu modica frigidaque videntur; propius autem intuentibus contraria demonstrant. Sensus enim versuum hic est: Viri litteris dediti nullam habent spem utilitatis alicuius e suis laboribus capiendae, nullam, cur incumbant in studia, rationem, nisi in imperatoris benevolentia et liberalitate positam; unus etenim Caesar in musas hoc tempore afflictas oculos coniecit earumque inopiam et solitudinem sublevavit [5]). Studiosorum nemo deinceps inopia conflictabitur, neminem in posterum ex iis, qui ad poesin animum applicabunt, egestas coget ad artes sordidas et ipsi indignas descendere [6]). Macti animis, adolescentes! en princeps

[1]) Dio Cass. LXVIII, 7 § 3.

[2]) Cf. quae supra p. 19 sq. de hac re diximus.

[3]) Vid. Synnerberg., l. l. p. 80.

[4]) De exilio, p. 28.

[5]) Sat. VII, 1—3: „Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum: Solus enim tristes hac tempestate camenas Respexit.

[6]) Ib. v.17-18: „Nemo tamen studiis indignum ferre laborem Cogetur posthac."

munificentissimus considerat singulos, et acuit ad praeclarum laborem, nihilque habet optatius, quam ut aliquos reperiat idoneos, in quibus remunerandis suam liberalitatem promat [1]). Itaque nec modicae sunt laudes Juvenalis, nec ipsos illos versus, quibus Domitiani temporum nequitia perspicue notabatur, in se scriptos esse Traianus accipere potuit [2]). Ad Pyladen redeundum. Quo loco illud primum animadvertendum est, quod nominis Pyladis, quem nonnulli per vim pro Paride Domitiani substituunt, ne vestigia quidem in antiquis rerum Juvenalianarum fontibus exstant. Praeterea pantomimus Pylades non eo favore et indulgentia Traiani utebatur, qua illi notissimi Parides Neronis et Domitiani. Quod Dionis testimonio comprobatur, qui Pyladis propter ludos bello Dacico confecto a Traiano institutos mentionem facit [4]); aliter ne nomen quidem pantomimi ad nos perveniret. Adde, quod satira septima, ut inter omnes fere constat, ante triumphum

---

[1]) Ibid. v. 20—21: „Hoc agite, o iuvenes! circumspicit et stimulat vos Materiamque sibi ducis indulgentia quaerit!"

[2]) O. Ribbeck, in praef. edit. Juven. p. XII: „vix ac ne vix quidem credere possum, vel poetam in eodem carmine, quo principis erga scriptores indulgentiam grato animo extulerat, eiusdem aulae pravas licentias et largitiones acerbissime castigaturum fuisse vel principem clementissimum propter Pyladis nescio quem amorem, quem tangi suspicatus sit, crudelissimum illud supplicium excogitasse."

[3]) Recte Weberius (Die Satiren des Juvenalis, Halle, 1838) p. 229: „Traianus liebte einen Pantomimen Pylades, auch war er dem Trunck ergeben, und ein jähzorniger Mann. Allein seine Fehler übten auf seine Regierungsweise keinen Einfluss: er wusste sie männlich zu beherrschen, und es ist nicht wahrscheinlich, dass seine Schwachheit gegen einen Bühnenkünstler so weit gegangen sei, dass er ihm jene Allgewalt nachgesehen hätte, welche Juvenal an den Paris rügt. Hätte also genannter Kaiser sich auch durch eine augenblickliche Aufwallung so weit hinreissen lassen können, dass er den Scherz eines Dichters mit einer schweren Criminalstrafe, und, wohlzumerken, auf eine boshaft verblümte Weise, unter scheinbarer Ehrenbezeugung, geahndet hätte, so wäre erst zu erweisen, dass der vom Dichter angedeutete Fall wirklich auf Traianserhältnisse gepasst habe. Dieser Beweis ist nicht zu führen."

[4]) Dio Cass. LXVIII, 10 § 2: „Τραιανὸς δὲ τά τε νικητήρια ἤγαγε καὶ Δακικὸς ἐπωνομάσθη, ἔν τε τῷ θεάτρῳ μονομάχους συνέβαλε, καὶ γὰρ ἔχαιρεν αὐτοῖς καὶ τοὺς ὀρχηστὰς ἐς τὸ θέατρον ἐπανήγαγε, καὶ γὰρ ἑνὸς αὐτῶν τοῦ Πυλάδου ἤρα."

Dacicum edita est, illo ergo tempore, quo Traianus, ut Strackius recte observat, pantomimos magis odisse, quam favere eis videbatur [1]). Postremo iure iis contradicendum est, qui Traiano suspicionem id movisse affirmant, quod versus illi separatim antea editi postea demum maiori satirae inserti sint. Nam primum ambigitur, unde Traianus comperire potuerit, hos versus sub Domitiano scriptos novae satirae insertos esse, deinde quibus causis commotus sit Juvenalis, ut Traianum, principem optimum, immerito laederet [2]); denique observandum est, tum prope sexagenarium Juvenalem non adeo rerum temporumque imperitum fuisse, uti sciens ac prudens id faceret, quod contra veritatem opinionemque bonorum omnium repugnaret; nam civitatis et litterarum condicio Traiano imperante alia fuit, atque sub Domitiano, quare nec Juvenalis in hac satira „tempora praesentia figurate notare potuit" [3]) nec omnino Traianus ea ad se referre [4]), quae de mortuis a poeta dicta erant [5]). Quae cum ita sint, omnia, ut opinor, concident, quae de Traiano, exilii Juvenaliani auctore, a nonnullis dicta sunt.

Antequam de Juvenalis exilio sub Hadriano dico, pauca ad eorum sententiam refutandam addam, qui Probianae praecipue vitae assentientes *Juvenalem octogenarium* sub specie militiae relegatum esse neque Romam reducem, sed exulem mox angore et taedio mortuum affirmant. Quae si vera essent, Juvenalem ann. 47 natum non ante 127 ann. p. Chr. in exilium missum concederemus. At iam supra docuimus satiram septimam initio Traiani principatus editam versusque 90—92 huic satirae insertos, propter quos poeta urbe summotus est, ante hoc tempus scriptos esse. Quam ob rem si Juvenalem octogenarium in exilium missum concederemus, aut septimam satiram circa ann. 127 scriptam aut testimonium

---

[1]) Strack, p. 29. Cf. supr. p. 45 ann. 11.

[2]) Ibid.

[3]) Vita Probiana et Henniniana.

[4]) Cf. vit. Omnib.: „quibus Traianus intellegens vitia carpi sui temporis."

[5]) Cf. interpr. ad Sat. I, 170. — Strauch, De personis Juvenal. p. 5 et 62. — E verbis vitae Omnibonianae „in Paridem — temporis" conicere licet, Traianum non tam versibus in Paridem compositis quam tota satira offensum esse (Cf. Hermann, De sat. sept. temp. p. 14).

Probianae vitae falsum iudicare necesse esset. Sed cum illud comprobari non possit, sequitur, ut hoc falsum haberi debeat. Apparet igitur, ne si sola quidem Probiana vita exstaret, exilium poetae ad octogesimos vitae eius annos referri posse [1]). Nedum aliis vitis accedentibus Probianae vitae verba defendi possunt. „Verumenimvero, ut Hermanni verbis utar, propius intuentibus facile apparebit, ipsas has notiones singulas aliis contrariis ita elevari, ut si parem omnium auctoritatem statuerimus, nihil inde certi colligere liceat. Nimirum quod vulgata, Lipsiana, Omniboniana, Kulenkampiana poetam in exilio decessisse tradunt, repugnant Vossiana Probi et Donatiana, quae claris verbis Romam rediisse scribunt, neque illae ipsae inter se consentiunt, siquidem tres priores statim post relegationem decessisse aiunt, quarta diurno demum exilio fatalem finem imponit; denique vulgata Probi et Donatiana octogenarium relegatum, Vossiana contra et Kulenkampiana multo tempore post relegationem senio mortuum esse tradunt" [2]). Quae cum ita sint, libenter Franckio, Synnerbergio, Strackio, assentior, qui verba illa aut „conclusione aliqua et coniectura" [3]), aut „pro suis ipsius ratiociniis temere a scriptore posita" [4]), aut denique „ab alio quo postea adiecta esse" [5]) censuerunt.

Ad Stampini [6]) et Weidneri [7]) sententiam, qui Heinrichium, Teuffelium, Ribbeckium secuti Juvenalem *sub Hadriano* exulasse affirmarunt [8]), nunc pergamus. Qua in quaestione dirimenda

---

1) Hermann, ibid. p. 8.
2) Ibid., p. 11.
3) Francke, Exam. crit. p. 94.
4) Synnerberg, p. 12.
5) Strack, p. 13.
6) L. l. p. 46 sq.
7) Juv. Sat., Einleit. § 23 et 24.
8) Heinrich, Juv. Sat. II, 21, O. Ribbeck, Juv. ed. ster. p. XII, Der echte und der unechte Juvenal, p. 69, Teuffel, Studien und Charakteristiken, p. 412, e quibus Heinrichium eosque, qui ante eum eandem sententiam tuiti erant, refutavit Hermannus, De sat. sept. temp. p. 18—19 alib., Ribbeckium et Teuffelium Synnerbergius (p. 73 sq.), Meinertzius (Zur Kritik und Erklärung der Satiren des Juvenalis, p. 5), Strackius (p. 30, 32).

primum observari debet, ne vestigia quidem huius exilii usquam reperiri. Nam quid de Probianae aliarumque vitarum testimoniis, quae ansam exilii ad Hadriani tempora detorquendi dederunt, censendum sit, modo diximus. Stampinus, Ribbeckium secutus, testimonio Probi de Juvenale octogenario in exilium misso plane assentitur. Sed causas, cur ita de fine Probianae vitae iudicet, nusquam affert. Adde, quod nimiam fidem testimoniis Probi tribuens, nullam fere rationem Domitiani temporum aut earum vitarum habuit, quae de Juvenalis Romam reditu clarissimis verbis testantur. Deinde de fine vitae Kulenkampianae [1]), quem Stampinus testimonio Probianae vitae subsidio vocavit [2]), observandum est, eum ex ipsa Probiana male intellecta ortum esse [3]). At faciamus, Hadrianum exilii Juvenalis auctorem fuisse. Tum tertius satirarum liber, quem omnes cum prioribus conscriptum temporibusque Traiani intra ann. 103 et ineuntem 104 emissum censent, ad extremos Hadriani annos referri debet. Quo facto eo magis nodosa atque intricata res fiet. Namque, ut Synnerbergii verbis utar, „re etiam per se considerata tantam temporis distantiam inter ultimam scriptoris manum carminumque editionem interponere, ut satiras sub initia Traiani conscriptas post duodeviginti annorum spatio Hadriano imperante in lucem editas esse credamus, vix consentaneum videbitur“ [4]). Tum animadvertendum est, libri quarti satiras, quas sub Hadriano scriptas esse certum est, tam diversum sapere furorem satiricum, ut septimam satiram maiore intervallo ab eis abesse appareat [5]). Stampinus et huic rei occurrere studuit, cum natalem poetae ad ann. p. Chr. n. 57 ex arbitrio detorquere non dubitavisset [6]). Sed primum minima, ut iam supra exposuimus, ratio huius sententiae indagari possit. Deinde si Juvenalem Hadriani temporibus ad satiras scribendas edendasque se aplicasse statuerimus, non

[1]) „Decessit longo senio confectus exul Antonino Pio imperatore.“
[2]) Stampini, p. 54.
[3]) Synnerberg, p. 32. Cf. supr. p. 8.
[4]) Synnerberg, p. 78.
[5]) Strack, p. 30.
[6]) L. l. p. 19 et 57.

apparebit, quomodo remota Domitiani tempora tam vividis coloribus depingere potuerit, si per totam Traiani aetatem prorsus tacuisset? Adde, quod multa alia obstant, quominus Hadrianum exilii auctorem credamus. Nam, ut iam Hermannus recte observavit, „nec histrionem novimus, cui tantum Hadrianus tribuerit, ut eius gratia homines ad praefecturas et tribunatus eveheret, nec poetam verisimile est, quae in Paridem Domitiani aequalem ante triginta amplius annos lusisset, prorsus mutata temporum rerumque omnium conditione senili operi inseruisse“ [1]). Quibus si adiungamus, de altera satirarum editione cogitandum non esse [2]), illud nobis probatissimum erit, nihil de Hadriani aetate nos compertum habere, quod argumento versuum illorum respondeat [3]). Accedit, quod de famoso Antinoo illo, quem Teuffelius pro Paride substituit [4]), res confecta haberi debet; ille enim Hadriani amasius histrionum partes non agebat nec ipse Hadrianus is erat, qui histrioni alicui concessurus esset, ut negotiis publicis se intermisceret [5]). De Pylade vero pantomimo, quem Stampinus ex inscriptionibus pro Domitiani Paride commendat [6]), id solum ex Mommsenii annotationibus affirmari potest, Hadrianum eum pantomimum aliquando manumisisse [7]). Quam ob rem miror, cur Stampinus id nomen attulerit, si paullo infra nihil certi de potentia Pyladis addere potuit [8]) quaestionemque de exilii causa „longe incertiorem“ definire non dubitavit [9])? Adde denique, quod qui sana et considerata iudicandi ratione utitur, longe aberit, ut Hadrianum praefecturam

---

[1]) De sat. sept. temp. p. 6.

[2]) Cf. supr. p. 18—19.

[3]) Cf. Synnerberg, p. 81.

[4]) Studien und Charakteristiken, p. 412.

[5]) Strack, p. 30 et 32. — Francke, Ex. crit. p. 132.

[6]) Libr. laud. p. 45.

[7]) Inscriptiones Galliae Cisalpinae latinae edidit Th. Mommsen, pars posterior, Berolini, 1877 № 7753, p. 889.

[8]) Loc. laud.: „Quod si Pyladem illum manumis.t Hadrianus verisimillimum est id ob quaedam histrionis merita atque officia factum esse eumque idcirco principi carum fuisse. *Ceterum rem in medio relinquo, quae coniecturis tantum nititur.*“

[9]) Ibid., p. 63.

cohortis „octogenario“ committere potuisse credat[1]). Quod ad ipsius Hadriani mores, de quibus Stampinus exilii confirmandi causa disputat[2]), attinet, hoc solum moneo: cum Aelius Spartianus de persecutione „libertorum et nonnullorum militum“, denique „de Serviano, quem virum nonagesimum Hadrianus mori coegit“[3]), memoravit, etiam de octogenario poeta in extremas imperii partes urbe summoto mentionem fecisset, si re vera Hadrianus auctor exilii fuisset. Ac de Stampini quidem sententia satis dictum[4]).

Postremo contradicendum est Weidnero, qui in prooemio, editioni Juvenalis praemisso, e Sidonii Apollinaris versibus:

„Non qui tempore Caesaris secundi
Aeterno incoluit Tomos reatu,
Nec qui consimili deinde casu
Ad vulgi tenuem strepentis auram
Irati fuit histrionis exul“[5])

relegationem Juvenalis ad Hadrianum detorquere non dubitavit[6]). Ad quam sententiam confirmandam ille homo doctus Apollinaris verba „consimili casu“ ita interpretatur, ut idem sint, quod „aeterno reatu.“ At non recte. Nam si certis argumentis Juvenalis ab exilio reditus demonstrari non potuisset, verba „consimili casu“ vel ad „aeternum reatum“ vel omnino „ad relegationem“, quam Ovidius et Juvenalis pariter passi sunt, referenda essent. At quoniam non est, quod de poetae reditu dubitemus, hanc unam huius loci interpretationem, quae ad communem „similem casum“, id est omnino ad relegationem spectat, admittendam apparet. Aliter res se habet cum sequent. Apollinaris loci versu „Ad vulgi tenuem strepentis auram“, cuius re vera plures explicationes, quarum alia alium efficit sensum, apte afferri possunt.[7]) — De auctore exilii Juvenalis satis dictum.

---

[1]) Cf. Hermann, De sat. sept. temp. p. 6.

[2]) L. l. p. 47 et 48.

[3]) Ael. Spart. in vit. Hadr. 14, 15.

[4]) De verbis „et te Philomela promovit“ (cf. Vit. Bodleian.), quae Stampinus, Ribbeckio praeeunte (praef. cit. p. XIII), Hadriani ingenio aptissima putat (p. 64), vide apud Synnerbergium, p. 81. — Cf. supr. p. 44.

[5]) Carm. IX, 266 sq.

[6]) Einleit. §§ 20 et 23.

[7]) Cf. Strack, p. 16.

IV.

De loco exilii Juvenaliani.

De loco exilii eadem fere quae de auctore eius dissensio est. Nam plures vitae Aegyptum habent, duae Caledoniam. Quare utri de hac re testimonio fides habenda sit, demonstrandum est. In Juvenalis vitis, ut iam supra exposuimus, inter multa posterioris temporis additamenta nonnulla antiquissimi fontis deprehenduntur vestigia, quae neque e satiris poetae neque e ratiociniis vel commentis grammaticorum oriri poterant. Quibus *Aegypti mentionem* adnumerandam puto. Nimirum homines docti, exilium Scoticum amplexi, relegationis Aegyptiacae famam e quintae decimae satirae versu 45 ortam esse affirmarunt [1]). Sed num satira quinta decima Juvenalis carminibus adnumeranda sit, res adhuc dubia est [2]). Nec aliter de versu 45 opinari licet, quem spurium haud scio an recte Franckius [3]), Duentzerus [4]), nuperrime Palmius [5]), iudicarint.

---

[1]) Ut Hermannus, in praef. ed. Juv., p. VI sq. — Sieboldus, praef. ed. Juv. p. XVII alii.

[2]) Kempf, Observationes in Juvenalis aliquot locos interpretandos, Berolini, 1843 p. 60 sq. — O. Ribbeck, Der echte u. d. unechte Juvenal, p. 15 sq.

[3]) Exam. crit. p. 80.

[4]) Jahn's Jahrb. f. Phil. Suppl. Bd. VI, 3 p. 373 sq.

[5]) De Juvenalis satira quinta decima, Halis Saxonum 1882 p. 6: „His omnibus argumentis apparere confido v. v. 44—48 non satirae XV auctori tribuendos esse, sed nescio cui interpolatori". . . .

At faciamus satiram XV a Juvenale scriptam esse [1]). Quid tum? Num e „falsae deorum culturae et nefarii victus Aegyptiorum" [2]) descriptione quicquam de exilio Aegyptiaco recte sumi potuit, nisi hoc ipsum exilium inde ab antiquissimis temporibus traditum fuisset? Nec quicquam ad exilii locum definiendum e simplicibus vers. 45 verbis: „quantum ipse notavi" depromi potuisse manifestum est [3]). Itaque dubium non est, quin nisi certa huius rei indicia in vitis haberemus, e satirae quintae decimae argumento id solum recte affirmari posset, Juvenalem aliquando peregrinationem in Aegyptum „animi gratia καὶ τῆς ἱστορίας χάριν [4]) suscepisse. Sed etiam monendum est. Hadriani temporibus, quibus satira adnumeranda est [5]), etiam peregrinae superstitionis foeditas, qualis recenti duorum Aegypti oppidorum exemplo describitur, Romanae satirae facem excitare potuit, praesertim cum Romani tum ascitas religiones multo pluris quam patrias facerent [6]). Quam ob rem haud scio an recte coniciant, qui „Juvenalem satira XV in Aegyptiorum rebus probabiliter antequam ipse Aegyptum peteret immoratum esse" [7]) eamque Romae, aut si mavis, in Italia scripsisse affirmant [8]). Quae cum ita sint, a vero aberrare mihi videntur, qui

---

1) Defensionem huius satirae contra Kempfium suscepit Doelennius in libro qui inscribitur „Beiträge zur Kritik und Erklärung d. Satiren d. Juvenalis, p. 242 sq. Contra Ribbeckii sententiam disputaverunt Lupus (Vindiciae Juvenalianae, Bonnae 1866), Meinertzius (Vindiciae Juvenalianae, Regimonti 1868), Palmius (De Juven. satir. quinta decima Halis Sax. 1882). — Vid praeterea librum meum „Римская сат. и Ювеналъ, p. 439 sq."

2) Satirae XV titulus antiquus ap. Sieboldum, l. l. p. 300.

3) Cf. Palm, l. l. p. 6.

4) Salmasius, Exercit. Plin., p. 452.

5) Vide quae supra (p. 13 sq.) de hac re dicta sunt.

6) Hermann, praef. laud. p. XVII meusque liber „Римск. сат. и Ювеналъ", p. 384—385. — Palm, l. l. p. 3.

7) Stampini, p. 61 ubi hanc quoque haud ineptam coniecturam reperimus: „ut silentio transeam verisimillimum quoque mihi videri poetam, ut ea de Aegypto enarraret in satira, cuiusdam fortasse amici testimonio nisum esse, qui a. Chr. CXXVII in Aegypto fuisset."

8) Weber, Die Satiren, p. 229: „die fünfzehnte Satire .... kann nirgends anders als in Rom oder doch wenigstens in Italien entstanden sein, da Juvenalis von seinem Aegyptischen Aufenthalt Vers 45 in der Vergangenheit spricht."

exilii famam e quinta decima satira ortam esse affirmant. At sunt qui hanc rem e singulis antiqui scholiastae interpretationibus depromptam credant. At non recte: Nam primum scholia vitis, quae nunc exstant, iuniora esse demonstratum est[1]); tum ad vers. 45, qui tantas exilii suspiciones movit, nulla exstant scholia. Alia vero in satiris indicia, ad Aegyptum pertinentia, nullam profecto causam exilii excogitandi praebere potuisse manifestum est[2]). Nec ipsius Juvenalis de hac re silentium quicquam offensionis movere potest. Quae res fuerit silentii causa quis est qui affirmare velit? Num tandem mirari debemus, satirarum scriptorem ea silentio praeterisse, quae ipsi ingrata et molesta aliis vero suspiciosa esse potuerint? Verum addo illud etiam, quod in carminibus Juvenalis potius de aliorum rebus quam de suis loqui solet. Cui rei gravissimo documento silentium de Martiale esse potest, quem poeta in satiris ne verbo quidem tetigit. His omnibus reputatis, non est quod dubitemus, quin exilii Aegyptiaci fama inde ab antiquissimis temporibus tradita sit. Sed ita non ego primus iudico. Amplexi sunt hanc sententiam, ne altius repetam, omnes fere recentiores, ut Heinrichius[3]), Weberius[4]), Voelkerius[5]), Widalius[6]), Weidnerus[7]), Hilgersius[8]), Synnerbergius[9]), Stampinus[10]) alii. Adde, quod huic consensui tanta inest auctoritas ut ipse Ribbeckius, qui, quamquam sex satiras Juvenalianas suppositas iudicavit, de antiqua exilii Aegyptiaci narratione

— Weidner, ad Sat. XV, 45: „daraus folgt, dass Juvenal einmal in Aegypten gewesen ist, nicht aber, dass er den Schauplatz der hier erwähnten Begebenheit genau kennen musste."

[1]) Cf. supr. p. 42 et ann. 2.

[2]) Sat. VI, 527. Cf. Sat. I, 26. 130.

[3]) L. l. II, p. 20.

[4]) Die Satiren, p. 227 sq.

[5]) L. l. p. 102 sq. 108.

[6]) L. l. p. XIII.

[7]) L. l. Einleit. § 21.

[8]) Juvenal in deutschen Jamben, Leipzig, 1876. Einl. p. XIII.

[9]) L. l. p. 43 sq.

[10]) L. l. p. 52 sq.

minime dubitari posse contendat [1]. De contraria vero Strackii sententia non est quod fusius disputem. Ille enim homo doctus non tam de exilio Aegyptiaco, quam de peregrinatione Juvenalis „animi gratia καὶ τῆς ἱστορίας χάριν suscepta disputat [2], qua re relegatio Aegyptiaca potius comprobari quam refutari videtur. Nam si e quinta decima satira, ut Strackius opinatur, ne de perigrinatione quidem voluntaria cogitandum est [3], quomodo, quaero, inde exilii fama oriri potuit?

De Aegypti loco testimonia dissentiunt. In vita Probiana et Henniniana de *„extrema Aegypti parte“* traditur; aliae solum Aegyptum memorant. Scholiasta Juvenalem „in exilium missum ad civitatem ultimam Aegypti Hoasim“ tradit [4]. Malala et Suidas poetam „ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην“ relegatum fuisse scripserunt [5]. Quare alii aliam sententiam amplexi sunt [6]. Salmasius locum exilii Syenen fuisse putavit [7]; Ribbeckius — Pentapolin [8]; Weidnerus scholiastae testimoniis assentitur [9]. Ac de Pentapoli res valde dubia est; nam Malala et Suidas, qui de hac regione tradunt, prorsus indigni sunt, quibus fidem largiamur [10]. Idem de scholiastae testimoniis recte dici potest [11]. Restat igitur Syene [12], quam Weberius [13], Voelkerius [14] et nuperrime Stampi-

---

[1] Praef. laud., p. XIII. — Der echte u. d. unechte Juv., p. 69.

[2] De exilio, p. 33—35.

[3] Ibid., p. 34 et 35.

[4] Ad Sat. I, 1; IV, 38.

[5] Vid. supr. p. 12 ann. 4.

[6] Vid. apud Stampinum, p. 63.

[7] Loc. laud.

[8] Praef. laud. p. XIII.

[9] Loc. laud.

[10] Cf. supr. p. 12.

[11] Ibid., p. 10.

[12] Oppidum ad Aethiopiae confinia in Nili paeninsula, marmore clarum (nunc Assuan), v. Plin. H. N. 41II, 73. V, 9. Mela, I, 9. Juv. XI, 124. Mart. IX, 36 „fusca Syene“. Oudendorp, ad Lucan. Phars. p. 158 (ed. Lugd. Batav. 1728). Nipperdey, ad Tac. Ann. I, p. 143 (ed. 5).

[13] Loc. laud.

[14] Libr. laud. p. 107,

nus[1]) exilii locum fuisse putant, quod ego mihi valde arridere fateor[2]).

De exilio Scotico, quod nonnulli pro relegatione Aegyptiaca amplexi sunt[3]), non est quod fusius disputem. Nam praeter Synnerbergium[4]) Strackius et Stampinus nuperrime demonstrarunt, Juvenalem in Caledonia non exulem, sed militem voluntarium stipendia fecisse[5]). Re vera iam vitae, in quibus de Scotico Juvenalis exilio traditur, quam maximas suspiciones movent. Nam ut omittam alia, iam supra allata[6]), praesertim hanc rem vita Bodleiana et Omniboniana comprobant, quae Juvenalem contra Scotos missum in exilio mortuum tradunt[7]). Quo nihil absurdius, si cetera, quae de Juvenalis vita diximus, cum scholiastae testimonio comparemus. Unde auctor Scotos sumpserit, iam Duentzerus recte observavit, postquam secundae satirae versus 159—161:

„Arma quidem ultra
Litora Jubernae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos",

cum vitae testimonio comparavit[8]). Sed etiam monendum. Fabula de exilio Scotico vel inde oriri potuit, quod Juvenalis re vera aliquando in Britannia sua sponte stipendia fecerat[9]). Quod quidem certissime comprobat titulus ille lapideus Aquini, in ipsa

---

[1]) Op. laud. p. 63.

[2]) Cf. supr. p. 38.

[3]) Hermann, praef. p. VII—VIII. Siebold, l. l. Einleit. p. XVIII. Berg, l. l. p. 17 sq. Vescovi, prefazione, p. XXIX.

[4]) L. l. p. 48—53.

[5]) Strack, p. 25. — Stampini, p. 50—53.

[6]) Cf. p. 44 sq.

[7]) „quo effectum est ut ipse animo consternatus ex mentis aegritudine diem suum obierit."

[8]) Loc. laud. p. 376. — Franckius huius fabellae fontem etiam in vers. 112 sat. XV „De conducendo loquitur iam rhetore Thule" sibi aperuisse visus est (Exam. crit., p. 45).

[9]) Cf. Weidner, l. l. § 24: „Aus der Kunde, dass er (Juvenal) als Tribun dort (in Britannien) gewesen, war die Vermuthung sehr leicht zu gewinnen, dass er in militärischer Eigenschaft dorthin verwiesen worden."

Juvenalis patria, repertus, in quem iam Pinzgerus [1]) et Bauerus [2]) eruditorum animos converterunt. Qui titulus, nuper a Mommsenio supplementis secundum litterarum quaedam vestigia aut probabili coniectura adiectis sic se habet [3]):

cere RI. SACRUM
d. iuNIUS. JUVENALIS
tRIb [4]). COH. I [5]). DELMATARUM
II. VIR. QUINQ. FLAMEN
DIVI. VESPASIANI
VOVIT DEDICAVitqVE
SVA PEC

Cererem Helvinam, cui monumentum sacrum fuit, Aquini praecipue cultam esse Juvenalis ipse testatur [6]). Prima cohors Dalmatarum, cuius praefecti et tribuni saepe nominantur [7]), stativa in Britannia inde a Traiano usque ad Antoninum Pium habuit, quod,

---

[1]) Jen. Liter. Zeit. 1823 № 13.

[2]) Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben Juvenalis, Regensburg, 1833 p. 28.

[3]) Inscription. regn. Neapol. latin. Lipsiae, 1852, fol. № 4312. Cf. Inscr. Orelli № 3462.

[4]) „TRIB. videtur esse suppletum ad litterarum vestigia, cum quod antea legit Cayro AGRI item contineat elementa RI. Quae retinui neque in PRAEF. mutavi.“ Ann. Momms.

[5]) „Post COH. numerus omitti non potuit, cum coh. V Dalmatarum iam in honesta q. d. missione Vespasiani (Card. dipl. n. VI) nominetur, potuitque facile omitti in monstro illo COMTELNATATUM. Cohors prima Dalmatarum cum saepissime nominetur et facillime exciderit I, sic ausus sum supplere.“ Ann. Momms.

[6]) Sat. III, 318—321: . . . „ergo vale nostri memor, et quoties te Roma tuo refici properantem reddet Aquino, Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam Converte a Cumis.“ Cf. annot. meam in Sat. tertiae editione, p. 57: „О прозвищѣ Цереры „Helvina“ не сохранилось никакихъ извѣстій. Схоліастъ загадочно разумѣетъ культъ, заимствованный изъ Галліи. Британникъ утверждаетъ, что возлѣ Аквино существовалъ fons Helvinus и остатки древнихъ храмовъ. Этой Церерѣ Ювеналъ посвятилъ памятникъ, найденный въ Аквино.“

[7]) Marquardt, Handb. d. Röm. Alterth. T. III, P. 2 p. 376.

praeter inscriptiones[1]), aris nuper in Britannia septentrionali repertis, denuo confirmatum est[2]).

---

[1]) Inscriptiones Britanniae latinae edidit Aem. Hübner in Corp. Inscr. latt. vol. VII, Berolini, 1873 p. 85, 100, unde apparet cohort. primam Dalmat. annis 104, 106, 124 p. Chr. in Britannia tetendisse. Cf. Friedlaender, De temporibus etc. p. 6.

[2]) Earum exempla in rossic. diurn. quod „Всем. Иллюстр." inscribitur, expressa invenies, Vol. V. № 115 p. 175 ubi et haec leguntur: „Памятники имѣютъ форму жертвенниковъ. Они были найдены въ послѣднее время въ сѣверной Англіи, вблизи г. Мерипорта, въ Комберлендскомъ ширѣ. Всѣхъ жертвенниковъ 17. На одномъ изъ нихъ находится имя трибуна Марка Мэнія Агриппы, личнаго друга императора Адріана и префекта британнскаго флота На другомъ написано имя префекта Асиліяна, который, судя по надписи, жилъ въ эпоху Антонина Пія. Жертвенники эти, безъ сомнѣнія сдѣланные римскими скульпторами, поставлены разными когортами. 11 жертвенниковъ принадлежатъ первой испанской когортѣ, 4 — первой когортѣ Батеріанцевъ, одного изъ бельгійскихъ племенъ, и *одинъ первой когортѣ Далматинцевъ.*"

V.

De Juvenale ab exilio reverso.

Quaeritur iam, *quando in Britannia militaverit Juvenalis?* Ante an post exilium Aegyptiacum? Mea quidem sententia *post* exilium. Ante Domitiani principatum Romani in ea tantum Britanniae parte, quae ad meridiem vergit, bellum gerebant [1]). Ineunte imperio Domitiani maiorem insulae partem Agricola devicit ad septentrionales Caledoniae regiones progressus [2]). Cum autem 84 p. Chr. anno gentium Britanniae domitor revocatus esset [3]), Juvenalis vero oculatus testis Paridis potentiae anno 83 p. Chr. a Domitiano occisi fuisset [4]), fieri non potuit, uti Agricola imperante stipendia mereret, quo revocato Romanorum in Britannia bella confecta videbantur. Extremis Domitiani temporibus Juvenalis, ut supra docuimus, Aegyptum exulatum abiit [5]). Nerva imperante (ann. 97), cum omnes a Domitiano iniuste relegati revocarentur [6]), poeta Romam rediit. Miserrima tunc temporis Juvenalis conditio fuit. Omni ut exul re familiari privatus nihil fere, quo vitam sustentaret, habuit, cum praedium paternum, cuius ipse meminit [7]), haud dubie direptum esset [8]). Martialis, cuius

---

[1]) Imhof, p. 41 sq.

[2]) Ibid. p. 44—45. Peter, p. 121. Zeller, p. 192.

[3]) Imhof. p. 51. Peter, ibid. Zeller, ibid.

[4]) Vide supr. p. 34—37.

[5]) Vide p. 35 sq.

[6]) Cf. supr. p. 45.

[7]) Sat. VI, 57 ibiq. Weidner., ubi tamen haec sunt corrigenda: Arpinum = Aquinum; 319 = Sat. III, 319. — Lewis, l. l. p. 323. — Synnerberg, p. 54.

[8]) Cf. Suet. Dom. 12: „Nihil pensi (Domitianus) habuit, quin praedaretur omni modo. Bona vivorum et mortuorum usquequaque quolibet et accusatore et crimine corripiebantur.“ Imhof, p. 77 sq.

familiaritate Juvenalis utebatur [1]), tum Roma in patrias sedes remeavit [2]). Nec res amissas recuperare nec alterius opes exspectare poeta potuit. Quantopere de rebus suis tum Juvenalis sollicitus fuerit, ex Martiale conicere possumus, qui in epigrammate Bilbili ad poetam circa ann. 102 p. Chr. missa [3]) eum „inquietum“ appellare non dubitavit [4]). Nec non recte, cum Juvenalis ad egestatem deductus ad clientium turbam se applicare coactus esset. Quotidie igitur limina potentiorum, ut ipse ait, vexabat [5]), multaque homine libero indigna patiebatur [6]). Nec aperte vitia temporis sui carpere nec omnino ex animo, quid sentiret, dicere poterat: nam clientela tunc temporis „servitio“ [7]) simillima fuit. Itaque aliam vitae rationem inire statuit. Militia inde ab iuvenilibus annis ei nota fuit. Cum enim ex municipio Aquino Romam se contulisset ad dignitatem ordinis equestris

---

[1]) Cf. in libr. meo „Римск. сат. и Ювеналъ“, p. 413.

[2]) Anno 98 p. Chr. Vid. Chr. Klussmann, ad Plin. Epist. p. 129 (ed. Stuttgart, 1869). Imhof, p. 137.

[3]) Teuffel-Schwabe, § 322. 4.

[4]) Ep. XII, 18 vers. 1. — Lewis, Juv. sat. introduction, p. 211: „In this epigram, written in Spain, he is represented as wandering restlessly about the town, and tiring himself with his attendance upon great people. A great deal of comment has been made upon this epigram, and the word *inquietus* has been held to imply that he was „in uneasy circumstances.“

[5]) Sat. I, 100.... „nam vexant limen et ipsi Nobiscum.“ Mart. l. l. vers. 3—6.

[6]) De Juvenalis in societate Romana conditione uberius in libr. meo saepius laudato „Римск. сат. и Ювеналъ“ (p. 422—426) exposui, ex qua haec afferre liceat: „Общественное положеніе Ювенала особенно ухудшилось со времени опалы, постигшей его при Домиціанѣ. Возвратившись въ Римъ съ разбитымъ духомъ, Ювеналъ, лишившись имѣнія, присталъ къ той толпѣ бѣдныхъ кліентовъ, которая ежедневно обивала пороги богатыхъ патроновъ. Не смотря на многія благородныя черты своего характера, Ювеналъ, по справедливому замѣчанію одного изъ новѣйшихъ ученыхъ (Boissier, p. 147), не принадлежалъ вполнѣ къ тому классу недовольныхъ своимъ общественнымъ положеніемъ, которые „гордое уединеніе“ предпочитали заискиваніямъ у богачей и знати. Отчасти по принужденію, отчасти по принятому тогда обычаю, Ювеналъ, подобно своему другу Марціалу, сдѣлался кліентомъ и испыталъ всѣ униженія и тягости своего новаго положенія“ (p. 423).

[7]) Sat. III, 124. De clientelae Juvenalis temporibus conditione vid. in libr. laud. p. 248—258 et apud Lehmannum, Antiquitates Romanorum domesticae in Juvenalis satiris illustratae, Halis Saxon. 1867 p. 28 sq.

sua virtute pervenit[1]); in Aegyptum vero „per honorem militiae“ a Domitiano relegatus est. Quo factum est, ut, cum taedio servitii urbani commotus intra Nervae et Traiani principatum in Britanniam sua sponte profectus esset, tribunus primae Dalmatarum cohorti, quae ibi stativa habebat, praeficeretur[2]).

Quando Romam Juvenalis redierit, e satirarum editione conicere possumus. Cum primus liber ante ann. 107 editus sit[3]), sub idem tempus, haud dubie, poeta Romam rediit. Quod quidem eo verisimilius videtur, quod tum Juvenalis prope sexagenarius erat, qua aetate Romani a re militari vacare solebant. His, quae modo exposuimus, fortasse Juvenalis silentium, quod sub Nerva et per primos imperii Traiani annos (98—106) agebat, explicari potest. Nam prima satirarum initia, ut supra diximus, iam Domitiano imperante facta erant[4]); quare nisi militiam cognitam haberemus, mirum sane videretur, cur Domitiano occiso ipse satiras edendas non curaret? Cuius rei fortasse scriptor Vossianae quae dicitur vitae meminit, cum haec tradit: „Deinde (sc. post mediam aetatem) ad poeticen se applicavit et *postquam diu tacuit* — ab indignatione incepit: „Semper ego auditor tantum.“ De Synnerbergii sententia, qui Juvenalis silentium sub Nerva et per primos imperii Traiani annos „diligentiore quadam cautione“ satirarum scriptori propria explicare conatus est[5]), non est quod fusius disputem. Manifestum enim est, Juvenali eiusmodi „cautione“ haud opus fuisse, quippe qui in satiris praeterita tempora mortuosque notasset.

Reliquum vitae tempus Juvenalis haud dubie prope Romam transegit satiris edendis occupatus. Extremis Traiani temporibus primi tres libri editi sunt[6]). Sub idem tempus familiarem rem suam Juvenalis auxisse videtur[7]). Taedio vitae urbanae commotus annisque debilitatus Roma migravit et in agro Tiburtino

---

[1]) Vita Bodleiana.
[2]) Vid. supr. p. 58 et 59.
[3]) Weidner, § 10 et 16. Synnerberg, p. 55 sq.
[4]) Cf. praeterea Synnerbergium p. 77.
[5]) L. l. p. 79.
[6]) Weidner, § 10, 12 sq. Synnerberg, p. 87 sq.
[7]) Cf. infr. p. 64 ann. 1. Völker, l. l. p. 106.

villam sibi paravit. Ibi quod vitae reliquum erat placide in solitudine transegit[1]). Quo tempore duos ultimos carminum libros publicavit. Extremis Hadriani temporibus (intra ann. 127 et 129) angore ac taedio „periit anno aetatis suae altero et octogesimo“ [2]).

De Juvenalis parentibus nihil fere certi memoriae proditum est[3]). Uxorem nunquam duxisse videtur, quod satira XI, ubi, ut apud Martialem[4]), „vilica“ pro uxore memoratur[5]), comprobat. De coniecturis vero, quae a Voelckerio[6]) et Weberio[7]) de Juvenalis vita familiari prolatae sunt, non est quod moneam. Nam has hallucinationes iam Sieboldus plane refutavit[8]). De Juvenalis amicis, si Martialem excipias, nihil fere certi affirmari potest, cum nomina eorum partim ignota sint partim ficta videantur[9]).

---

[1]) Haec omnia satirae XI indole maxime comprobantur. Cf. libr. meum p. 326: „Одиннадцатая сатира, подобно остальнымъ произведеніямъ двухъ послѣднихъ книгъ, относится къ преклоннымъ годамъ жизни поэта. Утомленный житейскими невзгодами, сатирикъ, по возвращеніи изъ Британіи, искалъ успокоенія на лонѣ природы. Шумная городская жизнь, которою уже въ молодости тяготился поэтъ, была положительно не по силамъ шестидесятилѣтнему старику, потрясенному нравственно и физически. Поэтъ оставилъ Римъ. Небольшая подгородная усадьба, сосѣдняя съ знаменитою Тибуртинскою виллою, сдѣлалась мѣстопребываніемъ сатирика. Тихо и одиноко проходили послѣдніе годы его жизни, среди литературныхъ занятій, сношеній съ друзьями и хозяйственныхъ заботъ. Изрѣдка только поэтъ вспоминалъ былое старое время, проведенное къ кругу близкихъ друзей. Тогда въ усадьбѣ наступало время домашняго праздника. Суровое настроеніе сатирика исчезало и онъ посылалъ звать къ себѣ городскихъ друзей на скромную деревенскую трапезу.“

[2]) Vita Donatiana.

[3]) Vit. Probiana: „libertini locupletis incertum filius an alumnus.“ Cf. Francke, l. l. p. 119.

[4]) Ep. XII, 18 vers. 20.

[5]) Vrs. 69: „Aspargi, posito quos legit vilica fuso.“ Cf. Weidner, § 13. n. 2.

[6]) L. l. p. 16; cf. p. 64.

[7]) Die Satiren, p. 230.

[8]) Vid. Juven. Satir. p. XX eiusdemque auctoris „Die sechste Satir. d. Juv. Braunschweig, 1854 p. 3 sq.

[9]) Eorum nomina haec sunt: Umbricius (III, 21), Postumus (VI, 21. 28. 377), Telesinus (VII, 25), Ponticus (VIII, 1. 75. 179), Persicus (XI, 57), Corvinus (XII, 1. 93), Catullus (XII, 29), Calvinus (XIII, 5), Fuscinus (XIV, I), Volusinus (XV, 1), Gallus (XVI, 1). — Cf. Strauch, l. l. p. 42 sq. meumque libr. de satiris quae declamationum nomine feruntur, p. 27.

VI.

Brevis vitae Juvenalis synopsis.

His expositis iam ad finem perductas puto de Juvenalis vita observationes. Reliquum est, ut additis necessariis aliquot supplementis hanc brevem vitae Juvenalis synopsin exponere conemur:

„D. Junius Juvenalis[1]), libertini locupletis incertum, filius an alumnus, Aquini[2]), in oppido Volscorum, temporibus Claudii imperatoris circa ann. XLVII natus est. Cum ex municipio Romam se contulisset et ad dignitatem equestris ordinis pervenire sua virtute meruisset, ad mediam fere aetatem declamavit non mediocri fama, sed animi magis causa, quam quod scholae se aut foro praepararet. Initio Domitiani principatus ad poeticen se applicavit et in Paridem pantomimum, qui in deliciis apud imperatorem habebatur, versus quosdam non absurde composuit, quos deinde inseruit in eam satiram: „Et spes et ratio.“ Sunt autem hi:

> „Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
> Et Baream, tu nobilium magna atria curas?
> Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.“

Qui versus primum aures imperatoris latuerunt. Cum autem Domi-

---

[1]) Juvenalis cognomen „Gallus“ (ap. Schol. ad Sat. I, 1), de quo Stampinus (l. l. p. 10 ann. 2) dubitare videtur, recte explicavit Matthias (De scholiis Juvenalianis, p. 9 sq.)

[1]) In via Latina, inter Fabrateriam et Casinum (nunc Aquino). Vid. Cic. ad Attic. V, 1. Phil. II, c. 41. Liv. XXVI, 9. Plin. Hist. Nat. III, 5. 9.

tianus audivisset, eum tempora sua notasse, pudore et ira de Juvenale amovendo cogitavit. Sed cum virum, qui Flamen Divi Vespasiani tunc temporis erat, publice punire non auderet, per honorem militiae extremis imperii sui temporibus misit ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis, ibi ut interficeretur Juvenalis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus θεὸς αὐτὸς adscribitur divorum choro, revertiturque Juvenalis Romam primis Traiani temporibus. Omni ut exul re familiari privatus ad clientium turbam se applicare coactus est multaque libero homine indigna patiebatur. Itaque taedio servitii urbani commotus, ut tribunus cohortis I Delmatarum brevi profectus est contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant. Romam denuo circa ann. CVII reversus Cereri Helvinae Aquini cultae monumentum lapideum sacrificavit. Quod vitae reliquum erat, prope Romam in villa, quam sibi paraverat, placide transegit. Senio ac taedio vitae confectus anno aetatis suae altero et octogesimo properantem spiritum cum tussi exspuit. Uxorem nunquam duxisse videtur. Familiaritate Martialis utebatur. In exilio ampliavit satiras et pleraque mutavit invehiturque in cineres Domitiani."

Addenda et corrigenda.

Pag. 14	lin. 13	lege:	Borghesii
„ 15	ann. 7	adde:	Cf. F. Weiss, Gebrauch der Fragesätze bei Juvenal. Stockerau, 1882, p. 24—25.
„ 16	lin. 23	lege:	ob rem
„ 16	„ 28	„	visceribus,
„ 20	„ 1	„	vero,
„ 25	„ 7	„	Dacici,
„ 27	„ 10	„	Ruehliana.
„ 32	„ 5	„	perfundebat.
„ 34	„ 17	„	facere [9])
„ 36	„ 12	„	Voelkerius
„ 40	„ 5	„	idcirco
„ 51	„ 29	„	applicasse
„ 52	„ 33	„	manumisit
„ 57	„ 33	„	Plin. H. N. II, 41. 73.